

oculos, et his uaporem recipiant: ipsum uero comedendum frequenter exhibeto: »
hoc facito, & cito æger iurabitur. Aut elaterij obolum, & feminis portulacæ dra- »
chmam unā cum melle illinito. Aut onidis recentis trite sucum subungito. Edant »
autem betam aut uulturis iecur tostum, aut felle inungantur. »

Ad crithas quas & posthias uocant.

Crithas subortas in palpebris cera alba totas auferes, muscæ capite abiecto, reli- »
quo corpore critham atterito. »

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE

COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECUNDVM

locos liber quintus, Ioanne Guinterio An-
dernaco interprete.

De hypopijs, id est, sugillatis.



Ypopium, quod *ὑπό οὖν ὠπας*, id est, sub oculis fiat, ex ipso no-
mine manifestum est, ac si quis suboculare ipsum nominaue-
rit. Caterum ex genere ecchymomatum est. Nomināt autem
sic Hippocrates & alij multi medicorū, cutis affectum, quan-
do exiguis in ipsa uenulis contulis, sanguis per contulionem
effunditur, non uno in loco, protinus in grumos totus coale-
scens, qui hoc modo excretus est: sed ubi, ut ipsi uocāt, per dia-

*Ecchymoma
quid.*

pelin, quod est, subsultationem effunditur. Accidit tamen interdum si quidem ita
constiterit, ut liuescat, atq; etiam tempore procedente nigrescat, exiguis nimirum
grumulis ex sanguine in multas cutis particulas disperso, generatis. Vnde nō im-
merito id medici quamprimum curare accelerant, priusquam nigruerit: eō sanē
curationis consilium dirigentes, ut sanguinem dissipent: non ignari ægrē posse di-
scuti eum, qui in grumos iam coierit. Quia uero tunica uenularum, ex quibus san-
guis exilit, contunditur, miscetur digerentibus medicamentis nonnihil astrin-

** Vetus addit,
per imitia.*

gentium *: si enim solam digerentem uim haberet medicamentum in principio
applicatum, non modo id quod effusum est digereret, sed & per contusiones ali-
quid sanguinis, qui contulis uenulis continetur, extraheret. Quando autem in na-
turalem itatum uenulæ redierint, citra astrictionem ad digerentia medicamenta
uenire tempestiuum est. Quemadmodum itaq; de alijs affectibus pleriq; medico-
rum indistinctē scripserūt auxilia, ita & in his sine dictis iam à me distinctionibus
prodiderunt simpliciter sugillatorum auxilia. At uos eorum memores quæ in li-
bris de simplicium medicamentorum facultate didicistis, diiudicare poteritis, quæ
dam oportere tantum discuti citra astrictionem. Porro in quibus modicè astrin-

gentium quiddam, necnon digerentium miscere conuenit, perspicuum est im-
becilliora primum debere assumi: ualidiora autem inueteratis, & ijs quæ nigre-
scunt admoueri. Itaque exempli gratia quibus ego utor ascribam primum, de-
inde ad medicorum fide dignorum historiam digrediar. Vocatur autem diarho-
don Nili, celebre iam olim collyrium, cuius etiā compositionem in præcedente
hunc libro percensui. Hoc ex aqua super cotem ocularium conterens, sugillatum
illino, decocto prius meliloti & fœnuigraci fouens: deinde mox idem collyrium
ex eo soluo, postea ex ipso fœnuigraco. Si uero aliqua reliquæ affectus remanse-
rint, in fœnuigraci decocto, collyria diasmyrnon appellata dissoluens illino. Con-
ducit autem bis in die medicamētum inungere, ac simul prius decoctis calidis per
spongiam mollem fouere, in principio quidem ex utrisq; & fœnuigraco, & meli-
loto: cum in uetustatem incidit, ex solo fœnuigraco. Hic curationis modus ut plu-
k

rimum absolute sanat sugillata, omnino paucis ipsorum exceptis, quibus tum dia-
fandicos collyriū ex usu est, tum quæcunq; à medicis conscripta sunt medicamēta
strenue digerētia. Incipiam autem ab his quæ ab Archigene tradita sunt in pri-
mo *γγυος* medicamentorum, uerba ipsius ascribens: postea uero si quæ distin-
ctio ab eo sit omīssa, adiiciens.

Archigenis medicamenta ad sugillata ad uerbum.

» Sugillata sanat quamprimum raphanus applicatus: aufer autem ipsum, quan-
» do rodere inceperit. Recte fecit quod adscripserit eum auferendū ubi rodere ince-
» perit. Si enim permanferit, uenularum contusiones rodendo adaperiet: quapro-
» pter & per initia eo utendum non est. Inueteratis autem sugillatis, & quando ni-
» grescunt, etiā si tum longiori tempore eum impositū aliquis seruauerit, magis pro-
» derit. Facit autem & caseus recens illitus. Et ipse quidem emplasticus, hoc est, in-
» farciendi facultate præditus est. Recens uero, hoc est, qui salem nuper acceperit, et
» nondum inueteratus, mixtam habet facultatem, emplasticam quidem per se, dige-
» rentem uero & astringentem aliquam ex sale, ita ut in eo etiam per initia uti non
» absurdum sit. Aut cerato cum absinthio, aut succo raphani excepto, aut hyssopi
» coma laeuigata similiter, siue cum absinthij coma laeuigata, siue succo ceratum mi-
» xtum admoueris, eandem ostendet facultatem. Lauius ad tactum erit medica-
» mentum, si cum succo ceratum mixtum sit. At si aut radiculæ succum, aut hyssop-
» pum ceratum acceperit, efficacius est medicamentum, quàm in principio statim
» admoueri debeat, nisi aut liuidum, aut nigrum factum sit sugillatum, quod & ipse
» deinde dicit. Summè facit ad recentia & liuida sugillata, spongia in muriā inin-
» cta, & frequēter apposita, & ablata. Postea fots frequens ex aqua calida confert.

Quemadmodum autem in principio ob eam quam dixi causam, raphano uti
tutum non est, ita nec muriā: eoq; postea aqua calida fouere oportet, ut ea quæ ex
muriā excitatur rosio, mitigetur. Neq; uero in omnibus sugillatis à principio con-
sulit uti fots ex muriā, sed in his quæ statim liuescunt. Pauco igitur tempore mu-
riā utendum. In quibus autem aut sanguinolentus, aut subflauus, aut subpallidus
» est color, fugere muriā oportet. Obducito autem cataplasmate ex lomento læ-
» uigato, absinthio, hyssopo, origano, raphani cortice, uua passa abiectis nucleis, se-
» orlim, siue cum melle, aut aceto, aut aqua. Parum integre ac absolute primæ re-
» media conscripsit, qui non apposuerit sermoni utrum coctis, an crudis uti iubeat,
lomento, & absinthio, & hyssopo. Videtur autem crudis uti iubere, cum dixerit
in fine orationis, cum melle, aut aceto, aut aqua unoquoq; prædictorum utendū:
adiecisset enim nunc coctis. Quin in eodem sermone persecutus tria dissimilia
facultatibus medicamenta, male mihi uidetur iubere cum hoc, aut illo uti. Aqua
enim minime mordax, non modo in cute, sed etiam in ulceribus. Mel autem ulce-
ribus mordax, cuti minime. Acetum uero utraq; mordet. Neq; etiam raphanus
uua passæ similis est facultate: neq; absinthium, neq; hyssopum, neq; origanum.
Hæc enim ualida & digerētia sunt; mediocris autem facultatis, & rosionis ac mor-
sus expertis est uua passæ. Item bulbus albus cum ouo & melle sugillatis conducit.
Flauum enim bulbum ueluti acriorem in principio sugillatorum auersatur ac
reijcit. Iam uero etiam mel digerentis esse facultatis nouimus, propterea uidetur
Archigenes mihi album oui liquorem ipsis miscere, ut quod abunde lene ac miti-
» gatoriū existat. Cyclaminus per se & cum uua passæ bene facit. Neq; hic partū

*Vetus ita uide-
tur legisse, Et mi-
sceatur uua passæ
se. Nam per se
medicamentum
discriminis inest inter cyclaminum & uuam passam, adè ut nesciam qua ratione
cyclamino sola usus sit. *Miscens enim cum uua passæ, facultati eius tantum de-
trahet, quanto pondere ipsam commiscuerit. Aut nitrum cum hyssopo & uua
passæ melli mixtum. Hic sermo melior est prius comprehenso, in quo etiam so-
lo cyclamino uti concedit, & si etiam tunc hyssopum ipsum per se admouendum
consuleret

confuleret, non adijciens in sugillatis admodum inueteratis, eodem modo pecca
 » ret. Myrtū cum sale & aqua sugillatis medetur. Dictum à me est etiam antea
 in principio, digerentia ea optima esse, quæ modum astrictionis recipiunt: quod
 genus sunt rosa, melilotū, & crocus: non tamen ex eiusmodi medicamentorū or-
 dine myrtus est, utpote quæ uehementer adstringat. Quapropter ego nō utor ea,
 » præsertim ubi iam liuidus sit color sugillatorū. Sinapi cum adipe ouillo sugilla-
 » tis recte accommodatur. Inueteratis & nigris sugillatis tantum id conueniet, &
 maxime si nō omnino paucum sinapi, quod adipe miscetur. Tamaricis folia &
 fructus læuigata cum aqua, per se & simul mixta. Et hoc medicamentū non so-
 lum digerens, sed etiam contrahens aliquid obtinet. Quapropter ueteribus & ni-
 gris sugillatis non cōuenit. Facit & spongia & linteolum, aceto & melle irrigata
 » & apposita. Hoc remedium si in principio applicetur, non multū acri aceto in-
 diget. Procedente uero tempore & iam liuentibus ac nigris nihil proderit, nisi ex
 aceto quam acerrimo præparatum sit. Aut lomentū mansum, cum melle impo-
 nito. Item non mansa fabacea triticea q̄ farina, si cum melle maceretur, liuorē di-
 scutiet. Verum mansa redditur ad discutiendum ualentissima, à saliuā facultatem
 assumens. Oui luteū similiter. Si oui luteo mel admiscuerimus, quemadmodū
 » antea dixit, lomentum simile prædicto efficiemus, & præparatione, & facultate.
 Aut porci pulmonē calidum imponito. Nemo purus homo hoc auxiliū tu-
 lerit. Aut tamaricis decocto abluito. Paulo ante de tamaricis uirtute dictū est.
 » Aut cardamomū cum myrrha imponito. Digerens quidē medicamentū myr-
 rha est, cardamomum uero acre. Hæc pauca ex Archigenis scriptis gratia exem-
 pli dicta, mihi sufficere uidentur: quæ ostendunt, quomodo medicamenta disquiri
 debeant. Qualia quidem in principijs conueniant, priusquam aut liuidum, aut ni-
 grum sugillatum iam existat: qualia uero liuidis iam, aut nigris, aut inueteratis, ea
 deinceps sola secundum Archigenis sententiā exponam. Aut cerussæ & argen-
 ti spumæ æqualibus partibus melle læuigatis lomentum misceto, ut cerati formā
 accipiant, & utor. Aut serpentis exuuium cum marina tritum inungito. Aut cu-
 minum panniculo inditum feruidum marinæ intingens in fotu adhibeto. Aut si-
 napi cum cerato imponito. Aut malabathrum læuigatum applicato. Aut thus et
 thapliā æqualibus partibus cum rosaceo et cerato. Aut menthā & argenti spumā
 » pari pondere imponito. Aut hordeaceam farinam cum oxymelite coctam. Aut
 fabam uino maceratam donec soluat, læuigatamq̄ in splenium accommodato.
 » Aut cicer erui simile pari modo. Aut fuliginem quæ ex furnis capitur, cum pari
 portione cerussæ, ex uino odoro inungito. Aut thapsiam & farinæ eruinæ triplū
 eodem modo. Aut carnem thymi falsam maceratam cōterito, deinde in uino
 austero læuigatam imponito. Ad uetustiora autem sugillata, similacis semen cum
 uua nigra læuigatum. Aut thapsiæ radix incisa, & succus adipe exceptus frequen-
 terq̄ appositus. Scriptum quidem est in quibusdam exemplaribus, non [uetu-
 » stiora] comparatiuè, uerum excellentiæ gradu, uetustissima. Dictum autem à me
 est statim à principio in eiusmodi sugillatis, uehementer digerentibus medica-
 mentis utendum esse, qualia sunt ea quæ in proposita oratione ab illo scripta sunt,
 & quedam à maioribus, ut indicatum est. Hæc quidem Archigenes tradidit. Ap-
 pollonius autem simul cum distinctionibus pluribus, diligentius in primo de pa-
 ratu facilibus hoc modo scripsit.

Quæ Apollonius prodiderit ad sugillata recentia, & liuores.

Spongia marinæ feruenti intincta, loca frequenter foueto. Aut spongia in mu-
 riam acrem intincta foueto similiter. Aut in acetum feruidum & uinum simili
 modo. Imponito etiam splenium, & melle & aceto irrigans: aut lanam, aut spon-
 » giam. Ablinthium læuigatum cum melle, lomento similiter admoueto: sic & ori-
 »

- » ganum. Raphanidis cortex cum melle, nec non bulbi leuigati per se aut cum mel
 » le, & luteo oui accommodantur. Silphium læue cum oleo & uino. Sampsuchus
 » læuigatus cum melle, Myrrha & sal læuigata cum aceto. Fœniculum læuigatum
 » cum cerato. Hyssopum, nitrum, cum melle & aceto. Calx uiua cum cerato. Sina-
 » pi læuigatum cum adipe uitulino aut cerato.

Ad sugillata uetera.

Ari radicem tritam & mellis mixtam in linteolum illitam imponito. Utitor
 etiam digerentibus facultatibus, quæ suo loco scribentur.

Ad sugillata cum œdemate.

Spongiam aceto imbutam imponito, & subscriptis fomentis frequentius uti-
 tor. Illinito autem farinam hordeaceam cum oxymelite coctam usq; dum subli-
 dat. Cæterum iam subscriptis utitor cataplasmatibus.

Ad sugillata cum inflammatione.

Aqua calida foueto, & lentem coctam læuem cum melle cataplasmatibus modo
 imponito: cochleam ægyptiam contusam imponito: ubi uero inflammatio remi-
 serit, tum iam etiam reliquis utitor medicamentis.

Ad sugillata cum scissura.

Scissuræ quidem ea quæ cruentis uulneribus adhiberi solent, imponito. Am-
 bientibus autem partibus, ea quæ ad sugillata citra scissuram scripta sunt medica-
 menta applicato. Abunde igitur forsan fuerit sic de sugillatis sermonem finire: ue-
 rum quia medicamenta ab experientia consentiente probata, alijs sunt firmiora,
 uisum mihi est etiam ea quæ à Critone in tertio Cosmeticonum libro prodita sunt,
 apponere, quæ ex illius sententia sic habent.

Quæ Crito prodiderit ad sugillata recentia.

- » Cicutam læuigatã cum aqua applicato, ablinthium tritum ex aqua, & in pan-
 » niculum illitum imponito. Si uero cutis tenera sit, mellis modicum iniiciens im-
 » ponito. Hyssopo * cilicio trito ex aqua, aut in panniculum illigato orbiculos fingi-
 » to, atque hos in feruentem aquam immergens paulatim ad fouendum adhibe-
 » to. Bryoniæ radicem tritam cum melle imponito. Ante tritam cerato excipiens
 » imponito. Muria acris spongas irrigas fotu adhibeto: & post hæc raphanidis cor-
 » ticem tritum cum melle, & in panniculum illitum imponito. Aut sinapi læue ce-
 » rato exceptum, adipis uitulinæ momento adiecto, ac in panniculum illitum, im-
 » ponito. Et de his quidem hætenus. Si uero inueterata sint sugillata, aut etiam li-
 » uores, subscriptis confecturis utendum.

Ad liuores & profundissima sugillata.

Cordyli partes duas, terræ samiæ partem unam: aceto exceptas imponito,
 mellis exiguo subactas. Diligenter autem animaduertendum, ne quando cutis
 exulceretur.

Sugillatorum absterforum Archigenis.

- » Hyssopi cilicij drachmam unam, radicis thapsiæ, thuris insecti, singulorum dra-
 » chmam unam, ceræ tyrrhenicæ drachmas duas, resinæ terebinthinæ drachmam
 » unam: liquida superfunduntur siccis, deinde in linteolum illita imponito, animad-
 » uertens ne exulceretur locus, & propterea cõtinue auferre oportebit. Radicis tha-
 » psiæ drachmæ duodecim, aut succi drachmæ sex, thuris insecti drachmæ octo, ue-
 » ratri albi drachmæ duæ, ablinthij drachma una, cerati rosacei drachmæ sedecim:
 » emollita reponito, & utitor illinens in linteolum: frequenter autem auferre oport-
 » tet. Viticis albi, herbæ lanariæ, glandis ægyptiæ, pulmonis capræ usti, radicis aspa-
 » ragi, bdellij, succi thapsiæ, singulorum oboli tres: oxymelite exceptis utitor. Se-
 » minis uiticis albi, herbæ lanariæ radicis, nitri rubri, succi raphani, hyssopi cilicij, fa-
 » rinæ fabacæ, singulorum drachmæ tres, glandis unguentariæ drachmæ quadra-
 » ginta

* Vetus, uel
 lycio.

ginta, tamaricis tantundem, pulmonis caprę in cinerem uſti tantundem, bulborũ »
 rubrorũ drachmę quadraginta, radicis thapſię tantundem, thuris drachmę duo »
 decim; cerato quod ex roſaceo præparatũ ſit excipito, & utitor in modũ prædictũ. »

Her. e medicamentum ad ſugillata, quod tribus horis, ut inquit, ea auferit.

Inflammatione oborta prius applicandum cenſet caſeum uiridem, & pane fo »
 uendum. Aut ſucci cicutę obolos tres, croci drachmas duas, myrrhę, acacię, ſin »
 gulorum drachmam unam, opię drachmas duas, ſucci thapſię drachmam unam, »
 gummi drachmã unam; aqua adijcitur. Hoc quidem Heras conſcriplit. Ego ue »
 ro nucem uetuftate oleaginoſam factam expertus ſum interdum uibices ſanare: »
 10 eam uero diligenter terere oportet, & imponere hoc modo, homine inclinato ſu-
 pinę, quo medicamentum maneat horis duabus & tribus; ſi enim ita fecerit, etiam
 ſi poſtea ſurrexerit, diu adhærebit, & oportet nimirum ubi primum exciderit, al-
 terum ſtatim apponere. Maluę folia cum ſale & melle læuigata, imponito: auferit »
 ægilopas. Et chondrum coctum aceto imponito incipienti ægilopi. Aut myrti »
 recentiſſimo ſemine obducito, quum deſluxionibus infeſtantur. Idem facit & le- »
 mnia terra inuncta. »

De ægilope.

Inter nali os & magnum oculi angulum, naſcitur exiguum quid abſceſſui ſi-
 mile, & rumpitur ſubinde in angulũ, ut curatu difficile fiat. Oportet igitur ipſum
 20 medicari digerentibus medicamentis, quę abſque roſione functionem obeant;
 nam oculus ob acria condoleſcit, atq; ita pars affecta inflammationem ſuſtinet.
 Non ſolum autẽ propter hoc curatu difficilis eſt affectus, ſed etiam quod pleraq;
 medicamenta humida conſiſtentia, quę in experientiam duci poſſunt, pars non
 ſuſtinet: influere enim ex his in oculum neceſſe eſt, neq; ullo modo adhærere ta-
 lia poſſunt, niſi deligatura totum oculum circundet, quam ferrẽ tot diebus, quot
 ad curationem requiruntur, nequaquam poſſis. Ob id igitur Apollonius nulla
 quę ad ægilopas pertinent medicamenta ſcriplit. Archigenes uero ubi paucorũ
 meminifſet, deinceps eam quę manu fit, curationem tradidit, etſi non ad opus chi-
 rurgicum, ſed id quod de medicamentis ſecundum genus agit, pertineat. Vniuer-
 30 ſam igitur eius dictionem ſubſcribam, quę ſic habet.

Quę Archigenes ad ægilopas in primo medicamentorum ſecundum genera ſcripſerit.

Naſcentes circa angulos ægilopas, obducimus eruis cum melle. Aut cinere ui- »
 tis aceto ſubacto. Probẽ facit & thus cum columbino ſtercore recente illitũ. Aut »
 ſuccum ægilopis herbę cum melle inungito. In his autem quę nondum perfora- »
 ta ſunt, herbam pedicularẽ, & ammoniacũ thymiana cum melle ut ſplenium »
 imponito. Aut alumẽ ſciſſile cum terebinthina ut ſplenium imponito. Aut lepor- »
 ris marini ſanguine floccum tinctum imponito. Aut cretam ſutoriam applicato. »
 Si neq; hoc modo cõualeſcant, diuiſo angulo & diſtante, tenui terebello frequen- »
 40 tius foramina pertundito: deinde cephalicis utitor: abſcedent enim ſquamulę &
 conualeſcent. Vel oſſe denudato candens ferramentũ illidito, & ſquamulę abſce-
 dent, & ſanabuntur. Aliqui uero diuiſo angulo oſſi ubi perforatũ eſt infundibu-
 lum tenue ſuperimponunt, & plumbum liquefactũ infundentes adurunt, & opti-
 me conſaneſcunt. Hęc quidem Archigenes ſcripſit. »

Quę Aſclepiades ad ægilopas ſcripſerit.

Aſclepiades uero in primo exteriorum. Succie elecebrę libram ſemis, ſucci ſo- »
 lani tantundem, thuris drachmas octo, maſtiches drachmas tres, galbani libram »
 ſemis: coquito ſuccos cum thure: & ubi diſſoluta fuerint, galbanum inijcito, mox »
 maſtichen. Aliud. Thuris, myrrhę, ſingulorum drachmas octo, ladani, cerę, alu- »
 minis ſciſſilis, aphronitri, ſingulorum drachmas quatuor: cõtundito medicamen- »
 tum, & emollito irini unguenti ſedimine. »

De uaris.

Tumor exiguus & durus in cute faciei nascitur, uarus appellatus, à crasso uide licet humore consistens, indicatq; sui curationem, quæ bona ratione ex medicamentis fiet emollientibus & digerentibus: durities enim ipsius emollientibus, tumor uero præter naturam digerentibus indiget. Cum igitur sæpius nunc recenserim, & in superioribus commentarijs, & in opere de simplicium medicamentorum facultatibus, materias digerentium & emollientium medicamentorū, particularium compositio ab experientia comprobata, utilis erit ut his quæ dicta sunt recte uaris, quæ paulo post explicabuntur, ubi prius diffiniero quinam similes uaris sunt affectus, & non nihil ab eis differunt.

De ficosis tumoribus.

Inter eos qui mento fiunt, hic est affectus, in hoc à uaris diuersus, quod humor illum generans non modo crassus, sed simul tenuitatis saniosæ particeps sit, propter quam etiam statim exulceratur, si non ut decet curetur, ideoq; ualidius siccantibus, quàm uari, indiget medicamentis.

De impetiginosis menti tumoribus.

Et hic affectus ex mixto quodam humore nascitur, dum & saniosi & tenues, acresq; crassis contemperantur, facile & in scabiem & in lepram transit, qui & ipse ualide siccantibus medicamentis indiget: ubi uero in scabiem aut lepram tranlerint, præter siccantia, quibus eget, etiam abstergentia requirit.

De menti eruptionibus, quæ exanthemata dicuntur, seu papulis.

Commune hoc nomen menti affectibus, ulcerosis & asperis sponte nascentibus nonnulli attribuunt, quemadmodum etiam Archigenes: siccantia hi quoq; medicamina requirunt.

De furunculis qui dothienes dicuntur.

Ex consimilibus uaris humoribus furunculi in toto corpore nascuntur, genere duplices: nonnulli quidem, ut ita dicam, uarosi, duri, & concoctu difficiles: quidam uero inflammatorii, ex quibus etiam febres interdum generantur, & tumor magnitudinem obtinet, & in pus degenerat: unde & curatio ipsorum plurimum habet ex ea, quæ inflammationi dicata est.

Ex Critonis commentarijs ad uaros.

- » Crito in tertio Cosmeticorum sic scripsit eisdem uerbis. Ad uaros faciei. Mellis
 » attici cyathum unum, aut drachmas duodecim, aceti acerrimi tantundem: mixtis
 » diligenter uaros inungito, digito illinens & infricans. Argenti spumæ chemā, aut
 » drachmas tres, terebinthinæ puræ, fabæ ægyptiæ magnitudinem: deinde olei albi
 » pauxillulum adijciens, postea absterfa prius facie medicamento parum digito ac-
 » cipito, hinc utrisque manibus contritū uaris circumlinito. Illud & tensam & mun-
 » dam seruat faciem. Amygdalis amaris aceto dissolutis, & diligenter tritis faciem
 » illinito. Alumen scissile diligenter læuigatum terebinthina excipito, & emollita
 » imposito. Costum indicum contusum, & per tenuissimum cribrum in cretum, ca-
 » prillo felle excipito, & in cerati spissitudinē redactum, uesperī uaris illinito: & ma-
 » ne ubi surrexeris patienti iube, ut faciem lacte colluat. Inueteratis autem uaris sub
 » scriptis confectionibus utendum.

Ad callosos uaros.

Saponis gallici drachmas quatuor, ammoniaci thymiamatis drachmā unam, thuris tantundem: aqua dissolutis, cerati crassitudinem facito: ubi hoc faciei illeueris, interposita hora una tepida abluere iubeto. Nitri rubri, hyssopi, pulegij, salis fossilis, æquales partes: contulis cretisq; tenuissimo cribro, cerato rosaceo exceptis uator. Ocimi feminis, nitri rubri, pulegij uiridis, aluminis scissilis, costī indici, lingulorum æquales portiones: contusa cretaq; omnia simul adipe anserino, aut gal-
 linaceo

linaceo excipito, ut cerati habeat spissitudinem: ex hoc in linteolum illinito, & im-
ponito, donec planè liberaueris. Salis tosti, pulegij, hyssopi, ammoniaci thymia-
matis, rhus coriarij, singulorum æquales partes: cerato rosaceo excepto imponi-
to, donec liberentur.

Ad tumentes dispositiones, & faciei pruritus, & initium elephantiasis.

Gummi albi, spumæ nitri, thuris, sulphuris ignem non experti, singulorum
æquales partes: aceto dissoluta & diligēter trita, in pastillos conformato, liccatoq;
in umbra: ubi usus erit, aceto dissoluens inungito: cum uero liccatū fuerit, abster-
gito subscripta confectione. Saponis gallici, ammoniaci thymiamatis, utriusque
10 drachmam unam, thuris, massiches, spumæ nitri, singulorum uncias tres: coquito
saponem & ammoniacum thymiamata in uas fictile coniecta, & aquæ sextarios
duos: ubi dissoluta fuerint, sicca, contusa, & tenuissimo cribro transmissa, inijcito,
deinde transferens in mortariū & contusa diligenter, in uase uitreo reponito: ubi
uero uteris, inquinabis faciem, & post modicum interuallum abluito aqua copio-
sa, molliter prius confricans. In uaris autem utendum est smegmate per totam ua-
rorum curationem.

Ad ficosas menti excrecentias.

Crito quidem in tertio Cosmeticorum de illis sic scriptum reliquit. Ad menti
ficosas excrecentias, quemadmodum præceptor Lucius Cathegetes. Argenti
20 spumæ, misyos crudi, æquali pondere trita applicato, thuris drachmas duas, ar-
genti spumæ drachmas quatuor, salis fossilis drachmas octo, chalcāthi drachmas
duas, sulphuris ignem non experti drachmas duas, æruginis drachmam unam,
nitri rubentis drachmas duas: læuigata applicato. Elaterij drachmas quatuor, sa-
lis fossilis drachmas quatuor, chalcāthi drachmas duas: mixta admoueto, attin-
gens nucleo specilli liquidum, ut medicamentum inhæreat: ubi uero medicamen-
tum imposueris, utendum lini semine læuigato cum aqua. Quum ulcera sunt
præhumida, etenim ab illis aqua pura defluit tanquam ex fonte, utendum subscri-
ptis confectionibus.

Pastillus ad ficosas menti excrecentias.

30 Usus est eo Artemidorus: reprimit uero omnes tumores, qui accidunt cū ma-
le cicatrix obducta est, quemadmodum in ijs quæ futuris cōmissa sunt. Composi-
tio uero hæc est: Squamæ æris drachmas quatuor, chalcāthi, aluminis scissilis, glu-
tinis fabrorum pellucidi, singulorū drachmas duas: sicca contendantur, cribren-
turq;, gluten uero aceto irrigatur, & læuigata superinijciantur liquidis, iterumq;
læuigentur, & pastillos fingimus: in usu uero aceto dissoluentes illinimus, & fistu-
las callo obducit.

Magni Clinici.

Aluminis scissilis, æruginis corinthiæ, minij synopici, chalcitidis, glutinis fabro-
rum, æquales partes: commisceto & utitor in modum prædictum.

Arij Asclepiadij.

40 Minij synopici, æruginis corinthiæ, aluminis scissilis, gallæ immaturæ, malico-
rij, æqualia pondera, gummi duplum: aceto exceptis utitor in modū prædictum.

Apollonij, ut Charixenus.

Squamæ æris, misy tosti, arsenici, singulorum drachmas duas, diphrygis drach-
tres, æris usti drachmas quatuor, chalcitidis ustæ drach. quatuor, glutinis fabrorū
totidem: aceto dissolutis pastillos formato, & utitor, ut antè dictum est.

Andronis medicamentum probatum.

Chalcāthi, myrrhæ, utriusq; drachmas duas, thuris drachmas quatuor, alumi-
nis scissilis tantundem, malicorij drachmas octo, gallarum, aristolochiæ, singulo-
rum drachmas octo: uino austero exceptis utitor in modum prædictum.

Critonis ad menti impetigines.

» Post hæc ordine ad menti impetigines Crito hoc modo scriptum reliquit. Ad
 » menti uero impetigines, turpissimum affectum: etenim pruritus excitat, & affli-
 » git patientes, & in discrimen non mediocre adducit. Nam interdum per uniuersam
 » faciem serpit, & oculos attingit, & ferè supremæ deformitatis causa efficitur,
 » & p. opterea diligentius curationi insistendum est, inspiciendo accessiones, inter-
 » misiones, ac recentia ab inueteratis discernendo, in quibus siccantibus medica-
 » mentis uti conueniet: ubi uero in scabiem, quæ p̄sora dicitur, aut lepram degene-
 » rauerint, præter exiccantia etiam abstergentibus, mox autem & subscriptis con-
 » fectionibus utendum est.

Crispi Philii ad recentes menti aut alterius faciei cuiusdam partis impetigines.

» Tritici grana multa accipiens incudi alicui imponito, deinde laminam æream
 » ignitam tritico superimponito, & quod ex eo defluit liquidum adhuc calidum ex-
 » ceptum impetiginibus illinito. Hoc solo multos curatos didicimus: Maluæ syl-
 » uestris semen tenerum adhuc, purgatum colligito, eo tuso succum reponito, et eo
 » frequenter inungito. Portulacæ succū frequenter illinito. Oleæ æthiopicæ lachrymā
 » tritā cū aqua et styracis modico, mixta imponito. Ulmi lachrymā aqua dissoluēs
 » imponito. In inueteratis aut impetiginibus subscriptis utendum confectioibus.

Ad inueteratas & calidas.

Asphodeli radicem in aceto coctam & tritam inungito, uiticis folia trita, aceto
 paululum adiecto, illinito, capparis folia contrita cum aceto applicato, lapathi
 domestici radicis corticem cum aceto lauigatum admoueto, ubi prius locum ab-
 sterferis, chamaeleontis radicem in aceto coctam & tritam illinito. Quoniam ue-
 ro ad impetiginum curationem particularia multa sunt & uaria, membratim de
 unoquoque dicturus sum, Incipiam autem ab his qui appellantur pastilli.

Pastillus impetiginosis conueniens.

Glutinis fabrilis drachmas quatuor (in alio drachmas duas) sulphuris ignem
 non experti drachmas duas, chamaeleontis drachmas quatuor, thuris drach. duas,
 aceti heminam dimidiam: gluten aceto dissoluitur, deinde aridis superinijcitur. In
 usu uero, quantum satis est aceto dissoluens, calefactum imponito (in alijs aqua-
 lia habet.) Chamaeleontis, sulphuris uiui, utriusque drachmas quatuor, oleæ æthio-
 picæ lachrymæ drachmas duas, thuris drachmam unam, aceti quantum satis est.
 Apud alios: Alcyonij drachmas duas, chamaeleontis nigri drachmas quatuor, py-
 rethri drach. duas, sulphuris uiui drach. quatuor, thuris, glutinis taurini, utriusque
 drachmas quatuor, aceti acerrimi heminas quatuor. Oleæ æthiopicæ, sulphuris
 uiui, utriusque drachmas quatuor, alcyonij drachmas octo, aphronitri, alicæ in ace-
 to coctæ, singulorum drachmas octo, aceti quantum satis est. Alcyonij usti dra-
 chmas duas, chamaeleontis nigri, asphodeli radicis, utriusque drachmas quatuor,
 sulphuris uiui, thuris, pyrethri, nitri spumæ, singulorum drachmas duas, glutinis tau-
 rini drachmas quatuor, aceti quantum satis est. Si uero affectus intendatur, & iam
 callosus fiat, utendū subscriptis confectioibus. Misij xenici, thuris, myrrhæ, alu-
 minis scissilis, singulorum drachmas octo, aloës, sulphuris uiui, utriusque drachmas
 quatuor: passo excipito ut sordium habeat crassitiem, & bis aut ter in die, loco prius
 absterfo, inungito, & extrinsecus medicamento custodiendi gratia, uesicæ pellicu-
 lam, aut oui testam, aut uiridium foliorum quantum satis est, imponito. Misij dra-
 chmas quatuor, acaciæ drachmas duas, squamæ æris drachmas quatuor, sulphuris
 uiui drachmas sex, chalcitidis drachmas octo, gummi tantundem, aceti quod sa-
 tis est: ubi uero dissolutum fuerit, amurcā inijcito, & diligenter contusa excipito:
 utitor ut antea dictum est. Sulphuris uiui, thuris, myrrhæ, chalcanti, misij crudi,
 singulorum drachmas duas, gummi drachmas quatuor, aceto dissolutis & oleo
 cedrino.

cedrino quantum satis est, utitor similiter.

Ex Zeuxidis commentarijs.

Chalcitidis crudæ, misy crudi, myrrhæ aminææ, sulphuris uiui, singulorum par-
modus, gummi duplum: aceto dissoluta, cedrino oleo excipito; cedrinum uero
oleum prius coquendum est, ut mellis habeat crassitiem.

Aliud Diodori.

Lachrymarum oleæ æthiopicæ drachmas uiginti, gummi drachmas quadra-
ginta, chalcanthi drachmas sedecim, sulphuris uiui drachmas decem, thuris, ærugi-
nis, acaciæ, myrrhæ aminææ, singulorum drachmas decem, aceti quantum satis est:
ac ubi dissolutum & leuissimum factum fuerit, unumquodque eorum amurca in-
spissata excipito, & exceptis utitor. Coniungendæ uero his & aliæ confectiones.
Quod circumlini possit decoctum ad impetigines ueteres, ut absq; exulceratione
eas tollat. Chalcanthi, fœnugræci pertriti, cardamomi, singulorū drachmas duas,
melanthij, fici teneræ foliorum, singulorum drachmā unam semis, aceti acris quan-
tum satis est: læuigata misce ut mellis habeant crassitudinem, deinde coque, & ubi
nigrum euasit medicamentum coieritq; tolle & inunge, eas prius abluens.

Heraclidis Tarentini lichenicum, quod absque exulceratione liberat.

Polentæ drachmas octo, glutinis taurini drachmas sex, chalcanthi drach. qua-
tuor, chalcitidis, sulphuris uiui, utriusq; drach. quatuor, aphronitri drachmas sex,
alcyonij drachmas quatuor, myrrhæ aminææ drachmas duas, aceti heminas tres.

Dionysij condiscipuli, quod absq; exulceratione liberat.

Farinæ hordeacæ sextarium unum, chalcanthi unciam unam, lapathi sylue-
stris radice corticis drachmam unam, sulphuris uiui drachmam unam, myrrhæ
sesquunciam, gummi unciam unā, aceti heminas sex, lapathi radicē coquito, ubi
uero dissoluta sit, exemptam tere: hordeaceam uero accipiens in reliquo humore
coquito, ubi bene habuerit, reliqua iniicito, & exceptis utitor.

Socrationis decoctum.

Alicæ pertritæ sextarios sex, sulphuris uiui drachmas sedecim, misy xenici dra-
chmas sedecim, chalcitidis, cimoliæ, utriusque tantundem, nitri spumæ, alcyonij,
aluminis scissilis, asphodeli radice, myrrhæ, thuris, oleæ lachrymæ, ammoniaci
thymiamatis, singulorum drachmas octo, aceti heminas tres: coquito alcyonium,
asphodelum, acetum: ubi uero ad dimidium absumptum sit, colato: ex colatura
autem dissolue ammoniacum thymiamam, myrrham, thus, & oleæ lachrymam: de-
inde terantur, mox sicca superiniiciantur: alicam uero coquito ex liquore, qui re-
liquus fuerit, & ubi dissoluta fuerit, reliquis adijcito, ac terito simul & utitor. In
alijs commentarijs sic habet: Sulphuris uiui, misyos xenici, chalcitidis, singulorū
drachmæ sedecim, nitri, aluminis scissilis, alcyonij, asphodeli radice, thuris, oleæ
lachrymæ, cimoliæ terræ, ammoniaci thymiamatis, singulorum drachmæ octo,
aceti hemina una.

Aliud ualde efficax.

Aceti acerrimi sextarij sex, farinae hordeacæ sextarij duo, mannæ sextarius
unus, lapathi syluestris radice drachmæ quinq; ueratri albi drach. decem, alcyo-
nij drachmæ quindecim, cardamomi drachma una, cimoliæ terræ drachmæ octo,
glutinis taurini drachmæ sedecim, nitri spumæ totidem, halicacabi surculorū uiri-
dium fasciculus, qui manum impleat: componito. Quoniam uero pleriq; facul-
tates medicamentorū quæ illinuntur, auersantur, maluntq; potius emplastra im-
poni quæ neq; sudoribus obortis defluunt, neq; exiccata cutem tendunt, adijcien-
dæ erunt etiam eiusmodi confectiones.

Emplastra lichenica, quæ absq; exulceratione ab his liberant.

Ceræ, picis coctæ, thuris, terebinthinæ resinæ, sulphuris uiui, singulorū selibra-

liquida superinjiciatur siccis. Thuris, aluminis, chalcanti, singulorum drachmas octo, sulphuris uiui, glutinis taurini, chamaeleontis radice, singulorum drachmas quatuor, ceræ drachmas octo, picis crudæ heminas duas: coquito picem, gluten taurinum: ubi coierint, ceram injicito, & aridis superfundito: exceptis utitor.

Aliud, facit ad impetigines elatas, ut reprimat ea quæ uidentur reliqua.

Mannæ thuris, picis, bituminis, ceræ, resinæ piceæ, sulphuris uiui, singulorum drachmæ octo, olei cyprini momentum: coquito ut prius comprehensum est, & exceptis utitor, ac in linteolum aut pelliculam teneram illinito.

Aliud, sine exulceratione liberat.

Picis brutiæ liquidæ sextarius unus, manne libra una, sulphuris uiui libra una, 10
farinæ lupini tantundem: conficito ut indicatū est, deinde adijcito galbani uncias duas. Est admodum generosum. In alijs scripturis nō habet farinā neq; galbanū.

*Philoti medicamentum ad impetigenes idoneum: citra exulcerationem ab affectu liberat. Datum est à Philoto fami-
liari, uersibus perscriptum.*

» Chalcitidis tostæ, chryfocollæ, misyos tosti, squamæ aris, diphrygis, salis am-
» moniaci, terræ erythriadis, singulorū drachmæ quatuor, sulphuris uiui drachmæ
» duodecim, chalcanti, lapidis asij floris, aris combusti, singulorum drachmæ sex,
» sorios drachmæ quinq; aluminis liquidi drachmæ quatuor: omnia hæc læuigato,
» deinde aceti heminas duodecim adijciens, terito diligenter in sole quinque sub ca- 10
» nicula diebus, donec medicamentum siccetur. Præparato autem in angusta pila
» thuris unciam unam, myrrhæ uncias duas, aloës unciam unam, ladanii uncias tres,
» opopanacis tantundem: aceto dissoluta, ut sordium habeant spissitudinem, & cum
» bene se habuerint, adijcito læuigatis in sole, rursumq; terito, & his adijcito contu-
» sæ in cretaq; tenuissimo cribro aristolochiæ rotundæ longæq; utriusq; drachmam
» unam. Vbi iam ea quæ teruntur emplastri figurā acceperint, adijcito quæ liquari
» possunt, liquefacta prius refrigerataq;. Sunt autem huiusmodi: Ceræ drachmæ
» centum & decem, resinæ terebinthinæ drachmæ uiginti, galbani drachmæ no-
» uem, olei hemina una, & diligenter emollita excipiens utitor: compositum autem
» medicamentum efficitur faciei idoneum. At si dispositio perseverauerit, & medi- 10
» camentis impositis restiterit, utendū est ijs, quæ quod faciem excoriant, & medi-
» cta sunt: etenim in procinctu superficiem separant.

De medicamentis excoriantibus, ecdoria appellantur.

Medicamentum ecdorion ad impetigines, Hoc Romæ Pamphilus utens, mul-
tum lucri reportauit cum in urbe morbus, quem mentagrā dicimus, grassaretur. Squamæ aris drachmæ sex, arsenici drachmæ quatuor, sandarachæ drachmæ qua-
tuor, aris combusti drachma una semis, ueratri albi sesquidrachma, cantharidum
uentriculorū sesquidrachma: singula priuatim terito, deinde simul miscens cedri-
no liquore excipito: atq; ubi sordium acceperit spissitudinem, reponito in pyxide
æris cyprij: ubi usus exigit, nitro et aceto modico impetigines abstergens, illinito, 40
specillo utens, & confricans: mox siccata abradito, & rursum medicamentum im-
ponito: deinde bis aut ter ubi hoc feceris, ut leuiter abrasas, rursum imponere co-
neris, loca illita uesicæ bouinæ membrana, aut alterius cuiusdam animalis, conte-
gens: etenim medicamentum ne defluat, tuetur, et læuis est: hac autem imposita, fa-
sciola leuiter deligatū medicamentū linito: bonū liquidē est ut per noctē adhære-
scat, sin minus, ad horas aliquot, usq; dum pustule excitatæ fuerint, quæ sanie cras-
sam glutinosamq; contineant: deinde lauari iubemus, & immorari diutius in bal-
neo: etem hoc eiusmodi curationē adiuuat. Esto aut balneū calidū. Quod si hoc uti
aliquid prohibeat, fofus ex aqua calida copiosa adhiberi debet: deinde abstergere
oportet & pane mullâ macerato obducere. Quod si sordidæ euaserint, chore sple-
nium

niūm imposito, paxillū ex medicamēto excoriāte adijciens. At si fanies emanet, & nullum incumbit ramentum, album splenium applicato; atque hac utitor curatione, usque dum cicatricem omnino receperit, fouens quotidie, recentiq; utens splenio. Postquam in totum cicatrix fuerit obducta, & suspicio quaedam relicta sit, utendum est iisdem curandi rationibus. Antequam uero excoriantia imponas, exteriores impetiginis partes, medicamēti inflammationem arcentis splenio circumdare conuenit, demulcendo cum extrema impetiginis superficie nonnullā etiam ex partibus sanis. Hæc est communis mentagræ curatio.

Axiōrij.

10 Squamæ æris drachmæ sex, chalcantĥi drachmæ quatuor, cantharidum sesquidrachma, ueratri albi sesquidrachma, sandarachæ drachma una; cedrino liquore excipito.

Aliud Apij Phasci ad mentagras, quas citra cicatricem persanat: facit etiam ad inueteratas alopecias.

Illinito autem in sole, uel ad ignem alopecias: pustula autem oborta acur oportet dispungere; humore iam excreto, ceratis curationem absolueret: post cicatricē inductam pili renascentur. atque hæc de alopecijs. Porro impetiginibus utendum est in modum prædictum. Medicamentum autem sic habet: Sandarachæ drach. duæ, arsenici drachmæ duæ, squamæ æris drachmæ duæ, ueratri nigri drachma una, elaterij drachma una, cantharidis uentriculi drachma una, excipito cedrino liquore. *Aliud.* Cantharidum sesquidrachma, ueratri albi tantundem, arsenici drachmæ duæ, squamæ æris par pondus, chalcantĥi drachma una, scammonia drachmæ duæ; cedrino liquore excipito. *Aliud.* Arsenici combusti drachmæ duæ, squamæ cypriæ drachmæ sex, chryfocollæ drachma una, chalcantĥi drachma una, ueratri nigri drachma una, aluminis seiffi drachma una, thapsiæ succi drachma una, scammonia drachma una, cantharidum drachma una, cedrini liquoris quod abunde est.

Emplastra uiridia ad impetigines.

Post medicamentorum excoriantium usum, emplastra uiridia & alba componere oportet. Bona igitur ratione & horum compositiones ascribendæ sunt.

Chlora qua Pamphilus usus est in mentagra dicta post pustule rupturam.

Ceræ libra una, æruginis rasæ uncia sex, æruginis torrefactæ libræ duæ, olei cyathi quatuor, aceti acerrimi quantum sufficit; æruginē oportet terere in sole ex acetis; quæ liquari possunt liquefiunt & refrigerantur, deinde arida simul refrigerantur, & liquoribus adijciuntur. *Aliter habet uetus.*

Demosthenis chlora.

Ceræ libræ duæ, æruginis rasæ torrefactæ libra una, æruginis rasæ uncia quatuor, olei æstate cyathi tres, hyeme cyathi sex, aceti quantum satis est.

Herophili chlora.

40 Aeruginis drachmæ duæ, mannæ drachmæ quatuor, adipis uitulini drachmæ duodecim, galbani drachmæ tres, ceræ drach. octoginta, resinę terebinthinæ drachmæ uiginti, aceti quod satis est.

Triphonis Archæi medicamentum, quod à bono colore Ὠχρῶν appellatur.

Aeris cōbusti uncia quatuor, aluminis rotundi uncie duæ, æruginis rasæ uncie duæ, salis ammoniaci uncia duæ, mannæ uncia duæ, ceræ libræ duæ, æruginis rasæ torrefactæ libræ duæ, olei uncia decem, aceti quod satis est.

Antony, hoc Timocrates post impetiginum excoriationem imponit.

Ceræ drachmæ centum, colophonis drachmæ ducentæ, squamæ cypriæ drach. duodecim, aluminis rotundi drach. duodecim, æruginis drach. duodecim, mannæ drachmæ duodecim, galbani drach. duodecim, olei hemina una, aceti quod

- » satis est, Coniungendæ etiam his sunt, & alborum confectioes: etenim his uten-
 » dum est post excoriationem, ubi pura euaserint ea quæ circa excoriationem exi-
 » stunt: siquidem cura haberi debet, ut citra callum cicatrice obducantur: quare &
 » his utendum est medicamentis, quæ multum lenimenti inducunt.

*Album emplastrum hydra:ine dictum: hoc magnus Periodeutes utebatur ad
 impetiginum excoriationem.*

- » Spumæ argenti libram unā, ceræ tyrrhenicæ libram unam, olei sextariū unum,
 » cerussæ libram unam, aquæ sextarium unum: argenti spumam, cerussam, ex aqua
 » terito: ubi læuia magis euaserint, olei momentum adijcito, teritoq; diligenter: atq;
 » ubi in unitatem coierint, in uas fictile conijcito, igniq; imponens, diligenter circū-
 » agito: ubi uero aqua absorpta fuerit, adijcito ceram: postquam dissoluta sunt, in pi-
 » lam transfundito, emollitaq; excipito, & utitor.

Tryphera pancreatiastes inscripta: facit ad ambusta, ut citra cicatricem liberet.

- » Argenti spumæ drachmæ uiginti quinque, cerussæ drachmæ uiginti quinque, plum-
 » baginis drachmæ uiginti quinque, ceræ drachmæ sedecim, resinæ terebinthinæ drach-
 » sedecim, olei cyathus unus, aquæ tantundem: componito in modum prædictum,

Megetis chirurgi.

- » Cerussæ libræ duæ, ceræ libra una, terebinthinæ uncia una, argenti spumæ libra
 » una, olei libræ tres, aquæ sextarij duo: componito.

Diophanti ad ambusta & derasa: item faciem tuetur, si rosaceo diluatur.

- » Argenti spumæ torrefactæ drachmæ duæ, medullæ ceruinæ drachmæ sedecim,
 » cerussæ torrefactæ drachmæ duodecim, ceræ drach. octo, resinæ terebinthinæ dra-
 » chmæ octo, thuris drachmæ octo, olei cyathi quatuor: conficito ut præscriptū est,

Mannæ medicamentum probatum.

- » Argenti spumæ drachmæ centum, cerussæ drachmæ centum, ceræ drach. quin-
 » quaginta, resinæ terebinthinæ drachmæ uiginti quinque, mannæ drachmæ sedecim,
 » aluminis drachmæ quadraginta, olei sesquicyathus: componito, & excipiens uti
 » tor: cum autem impetigines atteruntur, à quocunq; medicamēto, maxime autem
 » in excoriationibus, subscriptis medicamentis utendum est.

Confectio Meneceatis, quæ quod excoriantibus medicamentis constat, Ἰσὶ ἀκδβελὸς dicitur.

- » Picis brutiæ pellucidæ, siccæ, eximiæ, drachmæ duæ semis, resinæ pityinæ pellu-
 » cidæ libra una, unciæ tres, ceræ ponticæ tantundem, galbani unciæ tres, aceti cy-
 » thus unus: ea quæ liquari possunt, coquito igne lucidiori, usq; dum manus non in-
 » quinent, deinde galbanū adijcito, & cum dissoluta fuerint, ab igne remouens, pau-
 » latim aceti momentum instillato, & continue agitato, aduertens ne efferuescat: ac
 » ubi acetum consumpseris, medicamentum in pilam grandem transfundito, & dili-
 » genter conterito, ut melinon colorem habeat: deinde repositum pelle alba constri-
 » cta seruato: cum usus postulat, illitum in pellem quantum ad affecta loca tegenda
 » sufficit, imponito, ac soluens tertio die, recens applicato, usq; ad dies duodecim, ut
 » quater interim soluatur. Cæterum squamas medicamentum separat, corpora ex-
 » tenuat, & solida ad excoriationes idoneas efficit.

*Quæ ab Archigene in secundo medicamentorum secundum genera tradita sunt,
 ad eruptiones in mento, & ficosas excrescentias.*

- » Ad eruptiones in mento. Myrtorū, malicorij, argenti spumæ, æris floris, paria
 » pondera cum uino illinito. In ficosis menti dispositionibus, quæ à quibusdā men-
 » tagræ dicuntur, à quibusdā feræ impetigines. Faciunt etiam huc ualentiora ex
 » ijs, quæ ad impetigines scribuntur: item quæ ad scabies & lepras. Hoc autem miri-
 » fice contulerit, chalcanti, ueratri nigri, arsenici, singulæ drachmæ, cantharidum
 » uentriculi drachmæ duæ (nonnulli obolos tres ponunt) læuibus utitor ex oleo aut
 » cedrino liquore, aut rosaceo, locum abstergens. Cum pustulæ oriuntur, has rum-
 » pens

pens, nucleo specilli laeuigato, ut medicamentū penetret mordeatq; : deinde post
horam forū adhibito, ceratū rosaceum inijcito, idēq; donec cicatricem acceperint
facito. Quod si primo non continet, & bis & ter illinito : facit etiam lepris, leucis,
alopecijs, & scabiei insigniter.

*Heraclidis Tarentini ex scriptis ad Antiochidem ad fiosa capitis & menti oedemata,
& alia in parte eminentia ulcera.*

Elaterij & salis æqua portione mixta utitor : super autem lini semen crudū ex
aqua accōmodo. Aut ficus tenues læues. Eodē uero & ad phymata utendū est.

De dentium affectibus.

- 10 Dentium affectuum alij sanè omnibus euidenter apparent, quemadmodum
cum perforati fuerint, aut nigruerint, aut attriti sunt, aut neq; frigida sustinēt, neq;
calida, sed ob utrunq; aut alterum solum, dolor aliquis ipsos inuadit : alij uero nō
apparent manifestò in ipsis, sicuti quum æger ipse sentire se dolorem affirmat, qui
in alto dentis corpore oboritur. Aduersantur enim nonnulli, dicentes dentem,
quum os sit, citra dolorem affici, quemadmodum cum lima excessus ipsorum præ
secare cogimur, aut ob aliam quampiam occasionem, de quibus paulò post tra
ctabo : nunc enim citra rationalem naturalemq; demonstrationē cogito attestari
ijs qui dentem ipsum dolere pronunciat. Etenim ego quoq; dolorem passus, men
tem diligenter adhibebam, ut qui iam prius de hac controuersia audiuissem, sen
tiebamq; manifestò dentem non modo dolere, sed etiam pulsare, carnibus inflam
matione obsessis similiter : unde etiam admiratus sum, an hic quoq; affectus, quē
uocamus inflammationem in dente, qui lapideam duramq; substantiā obtinet,
possit oboriri. Quinetiā alio tempore dentis dolore affectus, palām persensī, non
ipsius dentis, sed gingiuarum esse dolorem, idēq; cum inflammationem experiren
tur, ut etiam citra compressionem dolerent : imò & uicinitate dentium, cum duri
sint, augetere dolorem ex compressu deprehendi. Itaque ceu utrunq; sensum ex
pertus, alium sanè in gingiuis, alium uero in ipsa dentis substantiā manifestò noui,
& attestor ijs qui dentes ipsos nōnunquam dolere dicunt. Præterea nerui qui den
tis radici inseritur, dolorem excitari, interim rationi consentaneū est : quāquam idem
30 neruus imaginationem confusam, incertamq; multis præbeat, quasi dens ipse doleat:
etenim & hoc manifestò mihi accidisse deprehendi. Et quod exigua adhuc doloris
pars dente exempto permanet, id ob nerui inflammationē contingit, qui leuatur dum
taxat inde, quod non amplius tendatur, à commissura qua ossi tendenti inhæsit libera
tus, respirationemq; quandam habeat, & quod medicamina quæ adferuntur, attingat;
neq; enim ex contactu, neq; ex distributione neruo inflammationem patienti me
deri poteris, ut qui utrobicq; à dentium stabulis constringatur, & priori parte ab ipso
dente. At si liuidi per totam ipsorum substantiam dentes fieri nonnunquam appare
ant, miri nihil est ipsos simile quid inflammationi sustinere. Præterea magis adhuc ali
quis fidem huic adhibuerit, eo quod nutriuntur, & ferè quouis uitæ tempore incre
40 mentum accipiunt: siquidem hoc euidenter apparet subinde in dentibus oppositis ijs
qui exempti sunt, utpote cum ipsi perpetuò augetur: quantum uero augetur, tan
tum læuigandis cibus atteruntur. At si nequeūt citra alimentū omnino augeti, etiam
duobus affectibus contrarijs subijcientur, inopiæ, & superfluitati alimēti quod ipsis
suggeritur. Inopia igitur sicciore, emaciatoq; magis, eoq; tenuiores efficit : super
fluitas autem, dispositionem ipsis nonnunquam procreabit, carnosarum partium in
flammationi per similem. Huius itaq; remedia erunt, eodem spectantia, quò ea quæ
inflammationes curāt: quod est ut superfluitas euacuetur, partim digerendo, partim
repellendo. At tenuitatis dentium ex alimentū inopia, remedium sanè nullum est. La
xari autem necessarium est tunc, & commoueri, ubi insertio, non modo ipsis denti
bus, sed etiam stabulis extenuatis quæ ipsos continent, laxior facta est. Hæc itaque

Vetus habet,
dentibus.

dispositio senio confectis obuenit, aut maturius aut tardius: sicut etiam aut magis aut minus; at quæ inflammationi respondet, magis iuuenibus oboritur. Quapropter etiam senes adiuuandi sunt auxilio gingiuarum: uocantur autem sic carnes, quæ dentes comprehendunt, ubi primum è stabulis suis emergunt. Conuenit igitur eas robustiores magisque constrictas circa dentes, medicaminibus adstringentibus efficere, tanquam & ipsæ non nihil iuuent stabilitatem dentium & firmitatem, quæ ex accurata infertione prouenit. Iam & dentium foramina ex humorum acrium erodentiumque influxu fiunt, sicut & cutis ulcera, citra causam exteriorem: sed in illis quidem subinde, & multis accidit, in * ossibus autem raro, quæ propter duritiem minus opportuna iniurijs quàm cutis existunt. Hinc constat et sanationem corporum erosorum fore, quæ prauum humorem influentem desiccat: si quidem paucus existat, auxilijs loco inductis ex siccatorijs medicamentis, quorum materiam paulo posterius persequemur: si copiosior, totius capitis prouidentia: & si hoc ex totius corporis consensu nonnunquam afficiatur, etiam illius curatione. Erosos autem dentes, ut qui à mollitiè hoc patiantur, reddere conuenit duriores, & minus affectibus opportunos, austeris acerbisque medicamentis: liuidos, exiccantibus, ut qui hoc ex prauorum humorum influxu sustineant: requirunt itaque curationem perforatis similiter.

De gingiuarum curatione:

Lentiscinum.

Gingiuarum ex inflammatione dolentium, optimum est medicamen oleum lentiscinum temperatum calore, ore retentum. Sit autem recens: nam uetustum tanto recenti deterius est, quanto uetustius. Vas in quo lentiscinum calefit, in alio maiore collocetur, quod aquam abunde calidam contineat. Maxime igitur hoc gingiuarum inflammationi conuenit. Quinetiam si in aliqua alia parte, utpote membrana linguam integenti, & ea quæ totum corpus succingit, dolor aliquis ob inflammationem ortus fuerit, lentiscinum illum mitigat: quippe citra molestiam asperitatemque repellit, quam plurima austeras obtinent, discutiuntque citra rosionem: cuius usus magis inflammationi obseclis existit. Nonnulli uero medicorum communi quadam ratiocinatione utentes inflammata offendunt, ac semel de hac re contemplatos, in posterum semper cauere oportet. Putant enim si astringentia solum inflammationes iuuant, repellendo id quod influit, interim etiam non nihil eius quod in loco inflammationem sustinenti continetur, exprimendo ad uenas particulam nutriens, uerisimile esse id quod ualentius astringit, magis opitulaturum: sic etiam id quod digerit efficacius, magis profuturum arbitratur, eo quod modicè id efficit, non cogitantes id quod ex utroque ipsorum intentum est, dolorem inflammatis particulis conciliare: liquidem particulae ab astringentibus ualide, simile quid contusioni patiuntur, dum substantia ipsarum uiolenter contrahitur: ab acerbis autem erosioni quid persimile. Merito igitur moderatum in utroque praestantius est immoderatis: hæc igitur abunde à me comprehensa sunt. De dolorum dispositionibus deinceps agam. Dentibus dolore expertis citra gingiuarum inflammationem, interim in ipso proprio corpore dolore, interim in nervo fieri contingit. Vehementissimorum itaque medicaminum usus est, siue repellere aliquis, siue discutere doloris causam uolet, siue humor, siue flatulentus sit spiritus, atque ideo plurima ipsorum ex aceto parantur acerrimo. Asscribam autem ordine etiam ea quæ ab alijs tradita sunt, ab ijs quæ Archigenes reliquit exorsus.

Quæ Archigenes ad dolorem dentium prodiderit.

- » Dentes autem dolentes aceto calido acri cum galla colluantur. Aut halicacabi
» radice cum aceto & galla. Aut tedis pinguibus in aceto subferuefactis. Aut myrti
» ramusculis, & cum pice in aceto tepesfactis. Aut alterci semine & folijs cum aceto
» aut cedrino liquore. Aut propoli, aut nardo, aut solano, aut succo ipsius, aut cap:
pari

pari, aut allijs, aut myrti ramusculis in aceto feruefactis, aut uini fece calida, aut »
 polij folijs, aut etiam ipsa herba, aut cucumeris syluatici radice, aut marrubio, sin- »
 gulis ex aceto, cum nitro & pipere, aut chameleontis radice similiter, aut hyssopo »
 aut herba pedicularia, aut ruta cum uino, aut pulegio cum oxymelite, aut platani »
 pilulas, aut rosas siccas incoquito uino albo, usq; dum tertia pars consumpta fue- »
 rit, deinde hoc habeto, in uase seruans, in usu frequenter ex eo os colluens. Idem fa- »
 cit & quinquefolij radix, quæ à quibusdam eupatoriū dicitur, in uino decocta, uel »
 pulegij decoctio. Aut cornus ceruini in posca decocto multū colluito. Aut brassi »
 cæ caules tres, & foreos drachmæ duæ, in aceti sextario decoquuntur: ubi ad tertias »
 10 peruenerit, colluito. Summè autem facere dicit ranæ in aceto & aqua probè deco- »
 cti ius, in ore diu retentum. Mirabiliter ualet si dentem caninum combustum tri- »
 tumq; deinde aceto calido incoctum, in ore cōtineas. Aut malicorium & gallam »
 aceto incoquens utitor. Aut scillam aceto calido: aut scillæ medullam minutim »
 cōcisam cum sextario aceti in uas coniiciens, stercore asinino defodito usq; ad dies »
 triginta, & utitor. Aut lacte asinino colluito. Hoc etiam mobiles confirmat. Aut »
 halicacabi corticis, & tedæ in aceto restinctæ, colluito per multū iure decocti. Aut »
 cornus ceruini in oxygano decocto, aut aceto colluito. Aut tithymalli radice in ui- »
 no usq; ad dimidias decocta colluito. Aut alterci radice oxymelite cocta colluito. »
 Aut tedarum rasuris, malicorijs, alumine rotundo, aut scissili in aceto coctis usq; »
 20 ad tertias, tepidis colluito. Aut helxinæ radicem aceto incoctam usque ad tertias »
 contineto. Vbi autem saliuā os repletum fuerit, hoc aperto, finito deferri. Aut al- »
 lijs, & alexandrina arundine aceto peracri decocta perluito. Aut hyssopo, aut thy- »
 mo, aut origano per se et simul cum aceto decoctis eluito. Aut pyrethro cum hyf- »
 sopo, & cucurbitæ syluestris medullæ similiter in aceto decoctæ ius diutius in ore »
 contineto. Aut cucurbitam syluestrem, quam uino calido maceraueris diutius »
 contineto: educit enim copiose pituitam & locum læuat. Aut alliorum & erucae »
 30 seminis, nitriq; decocto, aut ranunculo in uino cocto dentē circumpurgatū perli- »
 nito. Aut sycamini, hoc est, mori lac, in uinū effundito, simulq; lanas succidas ex- »
 primito tepesfaciens, lanisq; sordidis, molarī denti infundito: extrahit pituitā et do- »
 lorem aufert. In his omnibus Archigenes enumerauit medicamenta incidentia, »
 digerentia, & calefacientia, raro astrictorium aliquid admiscens, quale est medica- »
 mentum gallæ. At quod semel solanum positum sit, miratus id sum, cum nulla ra- »
 tione iuuare possit, præterquā si forsan, qua etiam medicamenta colica, ei quod do- »
 lorem sopit admiscentur. Quid igitur adhuc mentionē faciam paratu faciū medi- »
 camentorū Apollonij, cum ferè omnia inter ea quæ Archigenes prodit, cōprehen- »
 dātur: Quia uero Apollonius nonnullis quæ ipse cōscripsit, attestatus est subito do- »
 lores dentiū sedare, fatius uisum est mihi & illa ascribere, quæ ad uerbū sic habent.

Apollonij quod statim dolorem dentium sopiat.

40 Alliorum nuclei quinq; thuris masculi oboli tres, myrrhæ ramusculi duas pal- »
 mas æquantes duo: his folia adempta priuatim terito, similiter & allia, & thus: de- »
 inde hæc simul in recentē ollam iniiciens, & infundens aceti heminā unam, coqui »
 to, continuè agitās rudicula tedacea, quousq; ad dimidias peruenerit, & sic tepido »
 utitor. Oportet autem liquorem supra locum dolentē diutius tenere: hoc fieri de- »
 bet usq; dum liquor fuerit consumptus. Caterum utile fuerit etiam ante collutio- »
 nem, balsami liquorē, aut corticem imponere denti dolorē experto: sin minus, pa- »
 nacis liquorem contusum leuiter, ac sinere ut humor defluat. »

Post commemorata, Archigenes tradidit remedia dentium perforatorum, dolentium

& non dolentium, in hunc modum.

Circumlitionibus & epithematis huiusmodi utitor. Sori ægyptium resina tere- »
 binthina exceptū circumlinito, et foramini imposito ipsum, aut compositionē ex »

20 duobus piperibus, dissoluens ipsam nardino aut rosaceo, maxime autē amygdā
 21 lino, & in aurē eiusdem lateris instillato: hoc summè facit. Aut sulphur uiuū cum
 22 lycio excipiens foramini imponito aut circūlinito, dolenti prius purgato. Aut co
 23 mam pulegij tritā denti imponito. In maximis autē dentiū doloribus, summè facit
 24 hoc. Serpētis exuuiū combustū, & ex oleo mellis soluti faciens spissitudinē denti
 25 purgato circūlinito, ac omnes partes ambiētes illinito, foraminiq; imponito. Aut
 26 exuuiū non cōbusto dentes attingito, & excident. Aut terrā intestina torrefactā
 27 in foramē iniicito, dente purgato. Aut oua araneorū cum nardino unguento dis
 28 soluens imponito. Aut melanthiū torrefactū ex oleo circūponito, & paulum ore
 29 cōniuente, sinito pituitā effluere. Aut piper, aut cachry opio excepta foramini im
 30 ponito. In inflammato autē, nitrum rubrum & persicorū ossium medullam in uni
 31 tatem coactā, resina excipito, & circūlinito dentem, sinitoq; donec excidat. For
 32 amini autē piper, nitri spumam et galbanū cum melle imponito, aut corticem cum
 33 pipere similiter, aut pyrethrū cum myrrha, aut liquorē cyrenaicum, & piperis tan
 34 tundem cum galbano, aut melanthium & allij dimidium, salisq; modicum, col
 35 læuigata circūlinito: doloris expertes reddit. Aut blattam pedentem feram in ro
 36 faceo calefactam in aurē instillato, & foramini indito: aut galla læui cum cedrino
 37 utitor; aut in aurem dolentis partis sesamelion, cui terrā intestina incocta sint, in
 38 stillato: denti autē dolenti altercū mandendum exhibeto. Aut hederæ albę capreo
 39 los quinq; cum rosaceo terito, & in malicorio tepefacto bis aut ter die in dolentis
 40 partis aurem instillato: ipse autem fructus cum uino læuis illitus dentem iuuat.
 Post hæc Archigenes illa quoq; scribit: summè enim facit & cruentis gingiuis, si
 liquido alumine cum duplicata aloë attingas: aut scissile & myrto læuissimis affri
 41 cato. Vbi astrictæ fuerint, melle illinito, aut persicorū macheriorū partes duas,
 42 myrrhę partem unam, dentibus circumpurgatis imponito: dolorem aufert. Con
 43 fractis autem & dolentibus dentibus, ferramentum candens imponito.

De cruentis gingiuis.

20 Post prædicta Archigenes ita tradidit. Apophlegmatismi, hoc est, medicamen
 21 ta pituitā per os educentia, optima ad dentium dolorem. Herba pedicularia man
 22 sa per se, & cum pulegio: aut gallæ interius nigrū dente mordeat dolente, & sinat
 23 pituitam defluere. In oppositam aurem instillato hederæ duos capreolos, cum ro
 24 faceo læuigatos: aut tamaricis fructus drachmas duas, aphronitri drachmā unam,
 25 aluminis momentū, aliorū nucleos quinq;, myrti folia pauca cum aceto, mouens
 26 rudicula tedacea, coquito usq; ad dimidias, datoq; colluenda & ore cōtinenda: de
 27 inde hiantes pituitam sinant defluere, paulo post rosaceo oleo, ubi dentes collue
 28 rint, ptisanā ad forbendam dato. Quod si quædam ex collutione circa os fuerint
 29 exulcerata, croco & rosarum succo perlinito.

De fomentis.

20 Fomenta ad dolorem dentium bene faciūt extrinsecus, quæ sale frictō cōstant,
 21 aut milio in sacculos iniecto, aut quæ sordidis panniculis probè calefactis fiunt,
 22 uel etiā epithemata quæ sine aquis fiunt, ut quæ farina cruda cōstant, siue hordea
 23 cea fuerit, siue lini semen: cum autē ipse dens dolet, fomento ita utendum est. Origa
 24 ni sicci ramusculum in feruidum oleum intingens dente superillinito: aut herbā
 25 pediculariam in aceto tinctam: aut ceram dolenti parti imponens, nucleo specilli
 26 calidissimo continue attingito: aut opopanacem & liquorem peucedani æquali
 27 portione unita linteolo illigato, & in feruido oleo liquefacito. Cum autem medi
 28 camentum feruere cœperit, denti imponito, apprimitoq; molari: utitor manè &
 29 uesperī, & quemadmodū dixi, fotu & extra & intus, ante cibum & post eum non
 30 multo spatio interpolito utitor. Species etiam fomētī est huiusmodi. Vbi dentem
 31 probè undiq; purgaueris, cōtegerisq;, & affectū hiare cōeigeris, alterci semine sus
 32 fumigato

fumigato. Quod si nulli prædictorum remediorum cedat malum, infestat autem ualide dolor, tenui terebra dente perforato, commemoratis utitor præsidij: cōsuevit enim hoc pacto magis auxiliari. Quod si ne ita quidē abierit, & uisum fuerit dentem auferre, citra dolorem tolles medicamento admodum cōuenienti hoc. Pyrethrum acerrimo aceto ad dies triginta macerato, terito, reponitoq; ubi usus postū lauerit, reliquos cera obductos & securos redditos, ipsumq; dolentem ubi purgaueris, circūlinito medicamine, deinde hora interpolita digitis soluito, aut stylo excipito. Aut fori cum aceto peracri ad multos dies applicato, & excidet. Aut plumbaginem læuem cerato exceptā imposito. Educit ualide tithymalli liquor & fori cum galbano, si applicentur.

Quæ Apollonius in primo de facile paratu medicamentis tradiderit.

Primum sanè ipso forū caput est; ad dentiū dolores collutiones, quæ nihilo plus habent, quàm quæ Archigenes scripserit; secundū ad dentes erosos dolentes, epithemata, et illitus; tertium præterea, fomenta & unctiones ad dentium dolores; quartū, suffiminia ad dentium dolores, quintum, quæ manduntur, quæq; purgant dentes; præterea sextum gargarizationes ad dentium dolores; septimū caput scripsit ad dentium dolores quæ auribus infunduntur, quorum nullius mentionē adhuc faciendam censeo, cum ei qui librum uolet perlegere, nō admodum sit cōparati difficilis. Mihi certe ab Archigene scripta sunt abunde. At quū Apollonius tradidit medicamenta quæ naribus infunduntur, uisum mihi est ea apponere.

Quæ naribus infunduntur ad dentium dolores, ut Apollonius in primo de paratu facilibus tradidit.

Betæ radice succum ipsum per se naribus instillato, & dentium dolores solues. Cumini quantū tribus digitis cōprehendi potest, et myrrhæ fabæ instar, cucumeris medullæ duplicatā portionē. Trita & lacti muliebri mixta, in collyria cogito, impositoq; utrisq; naribus, deinde iubeto sic attrahere, quāto tēpore q̄s stadia quinque possit perficere, postea extergere medicamentū; hoc etiā ad aurium dolorē ualet.

Ne dentes erosi confringantur, neq; foedum odorem excitent.

Veratri nigri erui instar, in melle coctum imposito.

Ad dentes nigros.

Testa calaina tosta leuigataq; dentes cōfricato; sic autē gingiuas cōfirmat. Aliud. Salem fossitiū melle cōpersum torrefacito prunis ex uite; trito myrrhæ momentū misceto ac utitor cōsimiliter. Aliud. Pulegij partē unā, salis tantundē; hæc cōpersa aqua torreto simul, donec in carbones redigant, et leuigatis dētes cōfricato. Aliud. Caricas cōburens nardiq; exiguū terens & melle subigēs utitor; hoc etiā gingiuas cōprimat. Aliud. Polentā aceto quā acerrimo maceratā cōburito; leuigata dētes cōfricato; hæc quoq; gingiuas cōfirmat. Aliud. Alabastris cōbusti drach. octo, pumicis cōbusti drach. quatuor, salis torrefacti drachmę tres; leuigatis similiter utitor; collutione ex his utendū est, uino odoro, in quo iris arida diutius ante maduerit.

Quæ Asclepiades tradiderit ad dentes in primo interiorum.

Heraclidis Tarentini ad dentes mobiles. Utendū est spodio cyprio, reprimendo gingiuas, uerbasci radicibus incoctis; deinde eluere oportet aqua, aut myrti, aut rubi, aut lauri; deinde spodio attingens, conuiescere iubeto. Aliud. Veratri nigri fasciculum, mandragorę radicis drachmas quatuor, alterci radicis tantundē; in uas fictile coniecta, & uini chij heminas tres, aut coi quam præstantissimi, coquito in prunis grandioribus; ubi pars dimidia relicta fuerit, liquorem exuccatum, ore continendum dato.

Aridum ad dentes mobiles.

Terebinthi fructus torrefacti drachmæ octo, aluminis scissi tantundem, balaustrij drachmæ duæ, gallarum, croci, myrrhæ, singulæ drachmæ; læuibus utitor. Aliud. Cornu ceruini combustis drachmæ octo, rhus rubri drachmæ quatuor, om-

» phacij drachmę duę, balauftij drachmę quatuor, piceę corticis drachma una, myr
» rhę aminęę tantundem : læuibus utitor.

Collutio ad molarium dolorem.

» Smyrnij radices in oxymelite coquito: liquorem colo transmissum, ore cōtinen
» dum dato. *Aliud.* Lapatii syluestris radices, & platani pilulas ex oxymelite coqui
» to, & dato ut prædictum est.

Quę manduntur ad molarium dolores.

» Cachryos drachmas duas, origani tantundem, piperis albi drachmā unam, uuę
» passę gnelię, aut alterius pinguißimę sextarium dimidium: uuam diligenter con
» tundito, smyrnium melle dissolutum adijcito uuę passę, & myrrhę mixta in ma
» lagmatis formam cogito; cum usus postulat, nucis auellanę magnitudinem man
» dendam dato. Humoribus autem congregatis, ægrotantem hiare oportebit, & de
» orsum spectare, ut humor facile defluat : post medicamenti usum, uino abluere ad
» hortator. *Aliud.* Vuę passę pinguis sine granis sextarium dimidium, piperis albi
» acetabulum, cocci gnidij drachmas duas, spicę nardi tantundem, calię drachmā
» unā, pyrethri drachmas duas, myrrhę totidem: præparato in modum prædictum.

Ad dentes erosos.

» Medicamentum præseruans. Hoc usus dentes erosos citra dolorē conseruauit.
» Gingiber cum oxymelite coquito, tritumq; diligenter foramini imponito, & cir
» cumobstruito. *Aliud.* Hederę lachryma galbano mixta, aut liquori tithymalli, aut
» ficui syluestri: per colum transmissis utitor, ut prædictum est.

Aliud anodynon ad dentes dolore infestatos, erososq; : est & tussi efficax remedium.

» Liquoris papaueris drachmę duę, piperis albi triti cribratiq; drachma una,
» myrrhę drachmę duę, styracis drachmę duę, galbani drachma una, passi ad exci
» piendum quod satis est : contundito simul, & in catapotia redigito, denti circum
» linens, & foramini imponito. *Aliud.* Alterci succi drachmę duę, myrrhę dra
» chmę duę, opij, galbani, styracis, gingiberis, singulorum drachmę duę, piperis
» drachma una, liquoris syriaci tantundem, passi quantum usus postulat: præpara
» to & utitor in modum prædictum.

Compositio ad molares bonā in multis admiranda.

» Oleę lachrymę drachma una, myrrhę drachmę duę, ueratri nigri drachma
» una, opobalsami feminis drachma una, styracis drachma una, piperis drachma
» una, alterci drachma una, papaueris drachma una, castorei oboli quatuor, galba
» ni drachmę sex, liquoris cyrenaici drachma una, liquoris carpasi drachma una,
» panacis drachma una, sagapeni oboli quatuor, pyrethri oboli quatuor, staphis
» agrię drachmę duę, cedrini liquoris quod satis est, ut emplastrı accipiat spissitudi
» nem. *Aliud.* Sulphuris uiui drachmę quatuor, bituminis drachmę duę, amurcę
» drachmę quatuor, picis liquidę drachmę octo, cedrini drachmę duodecim, pipe
» ris drachmę quatuor, opij drachmę quatuor, staphis agrię drachma una, ueratri
» nigri drachma una, cocci gnidij drachma una, opopanacis drachma una, picis ari
» dę libra una : arida aceto excipito, deinde ea quę liquari possunt adijcito, & exci
» piens utitor, medicamento dentem molarem circumlinens.

Ad dentes mobiles ut citra dolorem conquatiantur.

» Pyrethrum in acetum iniiciens finito ad dies tres quatuor uę, deinde tritum im
» ponito dolenti denti, uicinis abstinens; oportet autem purgari diligenter, sicq; cir
» cunponere medicamentum, idq; ad dies tres, aut quatuor, hoc pacto enim citra do
» lorem conquatietur. *Aliud.* Cucumeris syluatici radices præparato ut pyrethru
» utitor in modum prædictum.

De dentibus mobilibus & excidentibus.

» Dicitum à me est antea quoque nonnullos senij uitio uacillare, siccescentes, qui
» parum

parum ex gingiuis astringentium medicamentorum uel contractis auxiliij recipiant: dicitur autem etiam nunc, quomodo nonnulli icti, confirmati sunt. Sunt autem qui etiam citra ictum laxentur, in quibus neruū, qui in radices ipsorum inseritur, multa humiditate madentem conijcio, eoque medicamentis siccantibus curari. Quoniam autem uidebam eos qui mouebantur alijs fieri prominentiores, & presertim cum ex ictu affecti fuerint, tantum ex eis lima auferendum censui, quantum supra alios eminent, ne inter differendum, mandendumque, in eos qui aduersa parte habentur, impingant. Cum itaque experientiam mihi attestantem deprehendissem, limam e ferro feci, ut celeriter actionem perageret: nam diutius ea adhibita, dentem, qui immobilitate indiget si firmandus est, concutit. Interim igitur dentium excessus inæquales apparent, cuius ratione limaturam requirunt: interim extremum equale obtinens, equalem etiam limam postulat. Oportet autem molli linteolo gingiuis usque ad dentium radicem circumposito, leuiter ipsos sinistra manus digitis comprehendere, securè simul & citra compressionem, ne limando concutiantur: itaque administrationem manu aggredi. Quod si dolorem percipiat dum lima circumducitur, & non continetur uehementius digitis dens affectus, cessare sanè statim oportet. Admoueto autem interea ex medicamentis quæ enumerabuntur: rursus limam inducere, uti dictum est, exiguoque interposito spatio usque dum dentis extrema abijciantur, idque faciendum est non primo solum die bis & ter, uerum secundo, ita ut egroto iniungas ne quicquam loquatur, neque durum cibum assumat. Utendum autem alimento est cremore ptisanæ, sorbitione ex chondro pane intincto, atque huiusmodi mollibus. At materia eorum quæ mobiles dentes iuuat huiusmodi est.

Quæ Archigenes ad mobiles dentes tradiderit cratyntica dicta.

Quod si mobiles dentes uoles sistere, myrrhæ, pōpholygis, lentisci, amyli, æqua libus portionibus, læuigatis attingito. Aut oliuarum albarum succum & rutam melli mixta affricato, deinde circumlinito nardino cum alumine liquido. Aut alumen rotundum cum sale duplici dentibus circumdato. Aut aluminis scissi, misyos, æquali portione, cum cedrino liquore ad liquidum cerati spissitudinem dentes inungito, finitoque pituitam effluere: deinde lacte alinino calido, aut aceto, aut uino in quo malicorium & gallam decoxeris, colluat. Ad dentes infirmos, aut molares. Mel, ceram, æquali portione solue in aqua calida, picisque dimidium admisceto: & ubi in emplastro spissitudinem coegeris, dato mandendum: si autem siccum euaserit, olei momentum admisceto. Summè facit etiam mastiche chia si mandatur: in stupore portulacæ manducet, aut oleum calidum ore contineant.

Quæ Archigenes de dentientibus conscripserit.

De infantibus dentientibus si dolore infestentur, canino lacte gingiuas circumlinito. Aut leporis cerebello si infantis gingiuas illeueris, statim dentes producit.

Quæ suspenduntur collo remedia ad dolorem dentium fide digna, hæc sunt.

Si dentibus dolenti ranunculi folia brachio eiusdem lateris quæ dolet imponas, dolorè quidem aufert, sed brachium exulcerat, quod curabis ut conuenit. At si dentiens puer dolores experiatur, ueteris limacis cornu illigatum pelle suspendito.

De doloribus gingiuarum.

Vbi gingiuæ laborant collutiones sanè bene faciunt propè omnes, quæ ad dentium dolorem scriptæ sunt. Veruntamen peculiarius facit acetum, in quo radix alterci efferbuerit. Gingiuas inflammationem sustinentes, alumine cum salis quarta parte, læuibus attingito: post morsum uero uino aut olei foliorum decocto colluantur. At in ijs quæ defluxione tentantur erodunturque, cum tumore laxo, dolore, & cum ueluti depastione sustinent, summè facit fomentum: oportet autem fouere lana specillo circumligata, ac in feruidum oleum intingito, gingiuisque admoueto donec adæquetur, albæque ambietes partes euaserint: sic enim silitur depastio, et quod ex sana carne erosum est nutrit. Post hæc autem

utitor confractionibus, & ijs quæ superius ad dentes conscripta sunt. Peculiariter iuuat galla læuissima, acetabuli mensura, cum myrrha fabæ instar: utitor sicis læuibus. Quod si enascens dens molestè reprimat pungatq; gingiuas, cyperū cum butyro & unguento susino quæ exoritur ungitō. In gingiuarum uitijs, epulides dicuntur, chalcantio & myrto æqualibus, cum exiguo alumine attingito. Bene faciunt etiam complures antheræ.

Quæ præseruent dentes.

- » Quæ dentes præseruent à dolore, Archigenes ita ad uerbum conscripsit. In dentium doloribus huiusmodi conueniunt ad præseruationem. Tithymalli radicibus in uino ad dimidias coctis bis mense colluito, et nunquã dolebis. Pulchrè conseruat à dolore etiam ualidos dentes, si faba ægyptia sine interiore amaro eam læuigans dentes confrices, & gingiuas semel in anno. Aut alumine scissi, cum momento myrrhæ confricato, & nunquã erodentur. Quod si aut constringatur, mel le utitor. Aut baccas iuniperi tenues, & cypressi folia, pari portione, gallæ exiguū cum melle cocto pastillos unius drachmæ fingito, et utitor: prius mandito, deinde uino odoro colluito. Aut iridis illyricæ nucis auellanæ instar mandito, & similiter colluito. Aut absterlis sale, immaturã gallã uino odoro incoctã mandito. Optime faciunt ad dolorū præseruationē, gingiuarumq; & dentiū robur, nec non recentia, etiam subscripta sine gmata. Lanæ succidas linteolo illigatas cōburito, deinde salis tertia parte admixta, læuibus abstergito. Aut uulpis capite combusto læuigato. Aut sale & melle læuigatis usq; ad cerati spissitudinem, & puro linteolo illitis combustisq; deinde iride illyrica exigua admixta dentes abstergito.

Quæ Andromachus prodiderit ad omnem dentium dolorem, Mylice, hoc est, ad dentes molares compositio, eadem hora dolorem finiens.

- » Piperis, pyrethri, liquoris tithymalli, galbani, singulorum drachma una: læuigata excipito galbano, & foramini eroso imponito.

Myletice Antiphanis, etsi non purgaueris imponito, & dentem circumspergito.

- » Alterci feminis, opij, nitri, myrrhæ, pyrethri, piperis, singulorum drachma, galbani drachmæ duæ: ex uino læuigatis utitor.

Alia Mylice qua utor.

- » Aluminis scissi drachmam, piperis albi drachmas duas, opopanacis aut piperis longi obolos quatuor, foreos obolos quatuor, gummi macerati in aqua drachmas duas, ceræ totius ponderis duplicatam portionem: conterens in aqua calida admixta, sic utitor.

Alia Cherea.

- » Myrrhæ drach. una, ueratri sesquidrachma, pyrethri sesquidrachma, aluminis scissi oboli tres: ex aqua læuigatis dentem circūlinito, & superius cerã imponito.

Alia Mylice ex commentarijs Aphrodæ.

- » Aluminis scissi drachmæ quatuor, myrrhæ oboli tres, piperis grana quinque: ego autem obolos tres iniicio, & probè facit: resina excipito, prius dentem expurgans, imponito in foramen, & spleniū intinctum accommodato. *Alia Mylice eiusdem.*
» Etiã nō purgato dente, foramini ipsius imponito, & super medicamentū spleniū inducito. Bene faciunt alterci feminis, liquoris papaueris, myrrhæ, nitri, pyrethri, piperis albi, singulæ partes, galbani partes duæ: ex aceto læuigatis utitor.

Alia ex commentarijs Aphrodæ.

- » Liquoris peucedani drach. una, liquoris papaueris drach. una, tithymalli myrrinitæ, liquoris cyrenasci, singulorū drach. una, galbani sesquidrachma: galbano excipito, & foramini imponito, purgatūq; splenio illinito: hora una dolorē finit.

Alia Mylice bona.

- » Alumine scissili meconio excipiens utitor: imponito & circūlinito.

Alia

Alia Mylice, ut Aristocrates.

Pañacis drachmæ duæ, sagapeni sesquiobolus, liquoris cyrenaici tantundem, piperis drachma una, spondylii, myrrhæ, galbani, pyrethri, croci, singulorum drachma una; mel additur ut sordium fiat spissitudo.

Ad dolores dentium & gingiuarum, item ad multa alia, Aristocratis grammatici.

Mellis libra una, aceti acri sextarius unus, aluminis scissi uncia sex (alij liquidi ponunt uncia quatuor) coquito usq; dum nigrescant.

Ad mobiles dentes.

Aluminis scissi pars una, mannæ pars una; læuibus utitor, aspergito dentem mobilem.

Ad dentium erosionem & dolores.

Quinquefolij radices cum uino coquito; dato ad colluendum, & cum cibo decoques ad tertiam partem. *Aliud.* Lapathi radices cum uino aut aceto coquito, arsenicum læue inspergens; modicum succi dato cōtinendum; coquito usq; dum ad tertias peruenerit.

Ad gingiuas ex humiditate flaccidas.

Pyrethri drachmæ tres, thymi drachmæ duæ, aluminis scissi oboli tres, iridis illyricæ drachma una; læuigatis utitor, & gingiuis imposito.

Pythij ad dentes mobiles, gingiuas flaccidas, exiguas corruptiones.

Alumen rotundum chartæ inuolutum comburitur, deinde læuigatum minio coloratur; his attingito gingiuas, & imposito corruptionibus.

Deocleis medici ad dentium dolores.

Galbani, opij, piperis, ceræ, staphis agriæ, cocci gnidiij, singulorum drachmam; læuigatis cera excipito, & circumlinito.

Ad dentes erosos aliud appositu utile.

Liquorem silphij imposito, aut ipsam radicem, aut galbanum cum pipere, aut opium cum galbano, aut opopanacem illinito.

Ad dentium dolores.

Soreos drachmæ duæ, aluminis scissi drach. duæ, misyos drach. una, sicco utitor.

Smegma quo utor gingiuas reprimens.

Cornu ceruini combusti libræ duæ, lanarum succidarum tenerarū uncia tres, salis ammoniaci uncia quatuor, piperis albi uncia duæ, costi uncia una, aluminis scissi uncia duæ, lentisci & perdiciij herbæ combustæ cum lanis, aut priuatim quarta pars, malabathri foliorum uncia una; contulsis simul utitor.

Que Crito memoriæ prodiderit ad omnes dentium affectus, quedam etiam ex his & ad gingiuas, ad oris foeditatem, & dentes in superficie nigros.

Ordeum & salem melle uinoq; immerfa chartæ illigato, & cōburens læuibus gingiuas fricato. *Aliud.* Chalcantho, alumine, corticibus dulcis mali granati, pari pondere; læuibus gingiuas ieiunus confricato, deinde uino astringenti colluito.

Aliud ad exulceratas gingiuas.

Nitri cōbusti, cyperi cōbusti, utriusq; par pōdus; læuibus ex melle circūlinito.

Aliud ad gingiuas & dentes mobiles.

Iridis uncia quatuor, piceæ corticis uncia iij, aluminis scissi uncia, sicco utitor.

Aliud ad dentes mobiles.

Lentiscum, myrtum, gallam in uino coquito; dato ad colluendum. *Aliud.* Salis partes duæ, aluminis scissi combusti & restincti in aceto acri pars una; læuibus utitor, deinde uino colluito.

Ad dentes mobiles ut firmentur.

Chalcanthum tritum ex oleo attingito, radices lana. Benefacit & ad erosos dentes cera exceptum & impositum cum myrto æquali, * tritum et melle exceptum, *Deest aliud.*

Ad dentes mobiles.

- » Vlni corticem in uino coctum fac ut ore contineat, & rami in uino decocti.
 » Ad erosos uero dentes, capparis radicem cum aceto acri coquito ad dimidias, &
 » tepido colluito: aut corticem similiter. Idem facit & ad dentium dolores.

Aliud fomentum dentium erosorum & dolentium.

- » Sulphuris ignem non experti partem unam, butyri partem unam: liquefactis
 » foueto per specillum. *Aliud ad dentium dolores.* Cinerem lixiuum lacti mixtum acci-
 » piens, contineto in ore supra dentem ad modicum tempus. Conuenit applicari et
 » in gingiuarum doloribus.

Alia Mylice, eadem hora dissolvens.

- » Piperis, pyrethri, tithymalli liquoris, galbani, singulorum drachma una: læui-
 » gata galbano excipito, & denti imposito. *Aliud.* Piperis sesquiobolus, cocci gni-
 » dij tantundem, galbani sesquidrachma, aphronitri obuli duo, croci sesquiobolus,
 » ireos sicca sesquiobolus, rosarum tenerarū drachma semis, trita melle excipito, &
 » ubi in emplastri figuram redegeris, dentem molarem circunlinito.

Ad molarem erosum.

- » Melanthium torrefactum tritumq; ex aceto acri applicato foramini molaris,
 » & non amplius erodetur, sed manebit uti est. Alij uero & nitri drachmā ex aceto
 » acri ponunt. *Ad idem.* Castorei, pyrethri tosti, galbani, æqualem portionē unius-
 » cuiusq; mixta imposito.

Ad dentem molarem, ut citra dolorem tollatur.

- » Farinæ ciceris purgatæ drachmæ duæ, conspersa liquore tithymalli, denti im-
 » ponito, et superius hederæ folia, & ubi horam liueris, remoueto, & sua sponte cō-
 » teretur. Probè facit hoc & ad erosos dentes: ceratū autem ubi usus postulat emol-
 » litum circumponito.

Aliud ut digitis dentem amoueat, probè prius purgatum.

*Deest, par
modus.*

- » Soreos, gallarum immaturarum, herbæ pediculariæ, aluminis scissi, sulphuris
 » uiui, piperis longij: læuigatis liquorem cedrinum misceto. Ceram liquidam pul-
 » chrè denti oblinito. Eñcit autem ipsos & pyrethrum, tithymalli myrlinitæ liquor
 » cum farina eruina ut adipis spissitudo fiat illitus. Aut pyrethrū quadraginta die-
 » bus in aceto maceratum illitumq; denti.

Aliud ad conuulneratos.

- » Castorei, pyrethri, opij, galbani, singulorū æqualē portionē: mixta imposito,

De dentifriciorum compositione quibus utor.

Nonnulla ex dentifricijs, quæ ego composui, usu probata, notaq; generosam
 obire actionē, uisa mihi sunt digna quæ literis mandarē: ac primū ea quæ frigidis
 dispositionibus dentiū medentur, siue ex frigide potu immoderato, siue fructibus
 à niue refrigeratis, aut cibi quibusdā, potuq; sint procreata: insuper si ex humore
 frigido è capite in ipsos dentes influente. Itaq; ex humore perfrigeratos uehemen-
 ter adiuuat apophlegmatismus, hoc est, medicamentū pituitā per os educēs. Quo
 modo is parari debeat, alio capite priuatim scriptum habes. Eos aut qui citra hu-
 morē, solo nunc cōmemorato medicamēto curare oportet, utiq; eo etiā post apo-
 phlegmatismū satius est, ut non solum noxiū humorē euacues, sed etiā dispositio-
 nem ab eo contractā persanes. Compositio medicamenti hoc pacto fit. Duæ her-
 bæ sumptæ, quarū alia sideritis, alia perdicias nominatur, siccantur domi sensim
 citra solis obiectum, ut neq; humidæ adhuc, neque sicca existant, urunturq; ad e-
 ut quamprimum idoneæ fiant quæ tundantur, incidanturq; & cessent uri: cor-
 rumpitur enim facultas ipsarum si plurimum fuerint adustæ. In alia autem ollula
 comburētur sales fossitij cum alumine rotūdo, attico melle conspersi, deinde cum
 alijs hæc mixta contudentur, & increta probè tenui cribro rursus conterentur.

Præstantius

Præstantius enim erit medicamentum, quanto exactius fuerit læuigatum. Vti autem eo oportet solos dentes fricando absq; gingiuis adiacentibus, nisi hæ fuerint flaccidæ: nam medicamentum uim habet siccatoriam. Idoneum sanè est gingiuis humidis, contrarium autem siccis. Attamen radices dentium post gingiuas eo perficere cõuenit, quemadmodum etiam ipsos dentes. Cæterum eorum quæ ad huius medicamenti compositionem miscentur, talis est temperatura. Herbarũ, ubi combustæ fuerint, drachmæ sedecim, salis combusti cum alumine drachmæ undecim. Sit aut herbarũ equale pondus, quod miscetur antequã comburantur, sal quæ druplo alumen superet, aliorũ uero nullum uratur: arida iniiciãtur prout subscripta habet temperatura. Origani comæ drachmæ duæ, piperis drachmæ nouẽ (in alio drachmæ duæ) pyrethri drachmæ duæ, costi drachmæ tres, apij seminis drachmæ tres, iridis illyricæ drachmæ quinque, menthæ siccæ drachmæ duæ, cornu ceruini aut capræ combusti drachmæ duæ, seseleos, hyssopi, singulorum drach. duæ. Si odorum ipsum esse uoles, calisæ aut amomi drachmas duas misceto; si regi præpares, cinamomi drachmam unam iniicias.

Ad mobiles dentes quo utor.

Callitrichi seminis libra una, aluminis scissi & rotũdi, singulorũ uncis tres, spice nardi uncis duæ, foliorũ uncia una, piperis albi tantũdem, pyrethri drach. quinque: contulis læuigatisq; simul omnibus, gingiuas usq; ad dentium radices attingito.

Timocratis dentifricium.

Ad gingiuas flaccescentes, molarium cruentas, mobiles dentes, cum alios tum molares, ozænas, putredines, parotidas, omnia oris uitia, dentium dolores. Hæc recipit: Perdicij herbæ modium italicum (in alio minam) salis albi tenuisq; sextarium, mellis sextulam: contundito, ut congeries reddatur mollior, deinde iniecta ollæ recenti luto fictili oblinito: operculum autem habeat quod in medio peruiũ sit, per quod moueatur rudicula ex pruna tosta, donec neq; fumus, neq; uapor sursum efferatur: deinde ubi ab igne tuleris, capito ex eo drachmas quatuordecim, piperis albi drachmas quinque, piperis nigri drachmas sex, pyrethri drach. sedecim, aluminis scissi extinctiq; uino austero drachmas duas, pumicis, myrrhæ, hyssopi, apij seminis, pulegij, singulorum drachmas duas, menthæ, iridis illyricæ, singulorum drachmas tres: hæc pridie in sole siccata, cribrataq; misceto ei quod prius in olla læuigatum erat.

Aliud. Perdicij recentis drachmæ decem, mellis, aluminis scissi, iridis illyricæ, singulorum drachmæ quatuor, piperis albi drachmæ octo, nigri drachmæ tres, pumicis drachmæ duæ, myrrhæ drachmæ tres, pyrethri drachmæ duæ, menthæ siccæ drachmæ tres, hyssopi drachmæ duæ, pulegij drachmæ duæ, apij seminis tantũdem, sideritis herbæ drachmæ tres, salis fossiti drachmæ quatuordecim: perdicium, sideritidem, mel & sal macerata urito: alumen autem scissile per se ustum uino restinguito, deinde omnibus simul contulis utitor.

Aliud. Salis tosti ex melle cum perdicio drachmæ quatuordecim, aluminis scissi tosti uino austero extincti, iridis illyricæ, singulorũ drachmæ quatuor, helxinæ, myrrhæ, menthæ siccæ, singulorum drachmæ tres, pulegij sicci, pumicis, pyrethri, hyssopi, apij seminis, singulorum drachmæ duæ, folij tantũdem, piperis albi drachmæ quinque, nigri drach. sex: contulis cribratisq; utitor. *Aliud.* Salis tosti ex melle quod cum perdicio fit drachmæ quatuordecim, pulegij drachmæ duæ, aluminis scissi tosti & restincti uino austero drachmæ quatuor, iridis illyricæ drachmæ quatuor, piperis albi drachmæ quinque, nigri drachmæ sex, pumicis drach. duæ, myrrhæ drach. tres, menthæ tantũdem, pyrethri, hyssopi, apij seminis, singulorũ drachmæ duæ: sal elotus melle probè subigitur, tritus ollæ recenti imponitur: deinde perdiciũ imponere cõuenit, in medio sali ipsi insperfo: postea operculo imposito, luto oblinitur, & in fornace torrefit, exempta teruntur unã cum sale: admodũ læuibus utitor.

Smegma dentium ut albi boniq; odoris fiant & non erodantur.

- » Nitri uncia una, sepia testarum tantundem, myrrhae uncia una: leuibus utitor;
- » Dentifricium optimum. Aluminis scissi uncia sex, mastiches uncia una, rosarum
- » comae drachmae tres, iridis uncia quatuor: leuibus utitor, & aqua calida colluito.

Damocratis dentifricium inscriptum.

Damocrates libellum quendam qui dicitur esse Pythici, inscripsit Pythicon, ab eo qui ipsi dedit stomaticorum medicaminum compositiones, nomine desumpto: in quo circa finem & haec tradidit:

- » His dentifricijs conseruabis candidos
- » Dentes, innocuos, & gingiuas flaccidas,
- » Humore pariter deprimes, oris grauem
- » Tolles odorem: sic album facies probe,
- » Cornu accipies ceruini quod combusseris
- » Quater libras quaternas, & unam salis.

Sic reperi scriptum in alio exemplario.

- » Cornus accipies ceruini quod ufferis
- » Denas libras & senas, sextantem salis
- » Ammoniaci sicci quod non amaricat,
- » Chondri libram unam, mastiches chiae libram,
- » Costi libras tres, aut etiam paulo amplius,
- » Albæq; lentisci tot, piperis candidi
- » Vnam unciam, folij malabathrini duas.
- » Tuis pila omnibus, & in cretis simul
- » Vti iubebis, ut dicam post paululum.
- » At si uoles ad gingiuarum phlegmonem
- » Et uulnera, excrescentiasq; carniū
- » Callosas aliquando parare, aluminis
- » Pondo libram unam adiunge reliquis scissilis.

Aliud Damocratis dentifricium.

- » Hoc autem fieri poterit promptius,
- » Nec non iuuare plurimum, cum utentium
- » Quadam uoluptate. Herbam sideritidem
- » Admodum uiridem, nouo & grandi fictili,
- » Recentis ordeï pauxillum condito.
- » Deinde cum fasciculum ipsius herbae ufferis,
- » Conspere salem, mox herbam iterum, hinc ordeum
- » Rursus; frequenter hoc cum feceris, reple
- » Ventrem ollulae totum, herbae quantum sufficit
- » Rursus superindens, furno calido, aut clibano
- » Poni iubeto totam noctem ut torreant.
- » Quin potius urantur, quo facile conteri
- » Cribroq; possint incerni; sed gratia
- » Odoris adde piperis albi paululum,
- » Thurisq; momentum, lentisci plus, boni &
- » Cyperi. Cum autem haec omnia auferes, chiae
- » Duntaxat adde plus siccatae mastiches.
- » Ad uesperam uolentibus dari debet,
- » Manè, licet purgatis iam uiris, eo
- » Colluere, post medicamentum sumptum iusseris.
- » Fac potione uini diluta utier

Sub

Sic
Sub uesperam p...
Ex...
Ad...
Alum...
accip...
C...
Dens...
T...
con...
pen...
d...
f...
lib...
loqu...
CLAVDII
COMPO
K
E...
qu...
men...
br...
imp...
fam...
rati...
im...
al...
nis...
fed...
por...
rum...
no...
ne...
ori...
al...
in...
pen...
ber...
ante...
item...
elle...
co...
mer...
u...
49

Sub uesperam potissimum, manè dabis
 Ex oxymelite temperato insigniter,
 Aduersus oris foedum odorem maxime.

Aurelij.

Alumen combustum in lebete æreo & fictili, restinguito uino aufero; ex hoc
 accipito mastiches uncias sex, thuris unciam unam, folij drachmas quatuor, cyperi
 tantundem, & utitor.

Aliud quo utor.

Cornu ceruini cõbusti drachmę duę, marmoris uncia una, origani drach. iij.

De medicamento compositione quod dentes conseruat.

Tragorigani drachmę duę, hyssopi drachmę quatuor, perdicij herba, tyberie
 conspersa melle & sale tenui, ustaq; in lebete ut in carbones redeat, uncia tres, pi-
 peris drachmę quatuor: cõterito cribratoq; hoc, in usum reponito: neq; dolebunt
 dentes, neq; conterentur, neq; gingiuarum carnes sanguinem emittent, neq; excre-
 scent, neq; fluxione tentabuntur: habebis autem os bene redolens, & dentes can-
 didos. Quidam pilos crematos adijciunt medicamento, aut talum. Priuatim enim
 si quis utatur cinere, non dolebit.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE

COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECUNDVM

locos liber sextus, Ioanne Guinterio An-
 dernaco interprete.



30 ERVS sanè sermo est, qui à plurimis artificibus celebratur, nõ
 equale, neq; simile esse, à uiuã ne uoce discas aliquid, an ex com-
 mentario legas: quanquam industrijs, & natura prudentibus,
 haud uulgaris saepe utilitas prouenit, cū in libros dilucidè con-
 scriptos incidunt. Cum igitur intelligam & ego, primũ certè
 familiaribus, qui etiam ex operibus didicerunt, quantam uim
 rationalis methodus ad medicamentorum facultatem haben-
 dam obtineat, non parum commodi ex hoc prouenturũ opere: cumq; desiderem
 alijs quoq; id obueneri, qui in optimis laborem non detrectant, huius disputatio-
 nis enarrationem institui, non succinctam, neq; compendiosam in ea disciplina,
 sed exporrectam, longioremq; aggrediens, qualem in disputationibus citra scri-
 pturam frequenter ad familiares facere consueui. Differt enim rationalis auxilio
 40 rum inuentio, ab ea quę experientia nititur, ut etiam prius iam in neruorum uul-
 neribus à me comprehensum est, generali facultatis medicamentorum cognitio-
 ne, quibus in singulis uti affectibus conuenit. Nam in medicamentis, quę, quod
 ori adhibentur, stomatica à Græcis dicuntur, quale est quod ex moris conficitur
 celeberrimum, primus curationis modus communis est omnium partium, quę
 inflammationem experiuntur: deinde alter peculiaris ex ipsa parte quę curatur,
 petitur. Quę igitur inflammationē experiuntium sit dispositio, cognitũ prius ha-
 bere oportet, si indicationē quandam auxiliorũ simus accepturi. Didicimus autē
 antea, & demonstratũ habemus, inflammationes ex calidi sanguinis influxu fieri:
 item didicimus id quod influit, per initiã quidem reprimendum repellendumq;
 esse, nisi ad nobilem quampiam particulam recurrat, aliudq; maius aliquod malũ
 excitet. Verum huiusmodi distinctionũ in præsentia usus nullus est: nam ceu me-
 minerimus totum prius corpus preparandũ esse, ut affectus qui in particula qua-
 cumq; consistunt curẽtur, ad institutũ perueniemus. Etenim sanguinis demissione

Rationalis inuen-
 tio, in quo disse-
 rat ab experientia